

Zeitschrift: Zeitschrift für schweizerisches Recht = Revue de droit suisse = Rivista di diritto svizzero = Revista da dretg svizzer : Halbband II. Referate und Mitteilungen des SJV

Herausgeber: Schweizerischer Juristenverein

Band: 13 (1894)

Rubrik: Rechtsquellen des Kantons Tessin [Fortsetzung]

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 04.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Schweizerische Rechtsquellen.

Rechtsquellen des Kantons Tessin.

Herausgegeben

von

ANDREAS HEUSLER.

(Fortsetzung.)

Die Statuten von Lugano von 1408—1434 und 1441.

Über die Handschriften s. die Einleitung § 4, I., in dieser Zeitschrift n. F. XI S. 208.

Die Statuta civilia werden abgedruckt nach der dort in erster Stelle genannten Handschrift von Albrizzi (Statuten der Grafen Rusca). In den Anmerkungen werden Abweichungen der zweiten Handschrift Albrizzi (der Sanseverinischen Statuten, mit B bezeichnet), der Handschrift der Trivulziana (T) und der Handschrift von Beroldingen (Be) sowie bemerkenswerte Übersetzungen aus der Handschrift des Basler Staatsarchivs (Ba) mitgeteilt. Ich beschränke mich dabei auf die erheblichen Textverschiedenheiten, und notiere nicht Abweichungen wie *seu* statt *vel* u. dgl., noch weniger verschiedene Schreibarten wie *communitas* statt *comunitas*, *maleficium* statt *malefitium*, *iurisdiction* statt *iurisdiction*, *exequitio* statt *executio* u. s. f., was im Hinblick auf den Wert und das Alter dieser Handschriften keinen Zweck hätte.

Nachzutragen ist, dass die Handschrift von Beroldingen am Schlusse die Worte von der Hand des Schreibers des vorhergehenden Textes geschrieben enthält: *Finis Statutorum burgi Mendrisii. Laus Deo.* Ebenso steht auf dem ersten Blatte von späterer Hand: *Libro delli Statuti vecchii della Communità di Mendrisio.* Der Annahme, dass die Statuten auch in Mendrisio gegolten haben, steht bei dem engen Zusammenhange dieser Landschaft mit Lugano im Mittelalter und selbst noch unter der eidgenössischen Herrschaft (vgl. Übersicht der Mandate der XII Orte, Notiz vor Nr. 391; in dieser Zeitschr. n. F. XII S. 171) allerdings kein Bedenken entgegen.

Rubrica.

Prooemium.

Statuta civilia.

De arbitrio domini capitanei	cap.	1
De salario domini capitanei	„	2
De sacramento capitanei	„	3
De sindicatu capitanei	„	4
De citationibus fiendis	„	5
De forensibus citandis	„	6
De banno dando	„	7
Quod quilibet possit citari in domo regiminis sine precepto	„	8
Quod post bannum preteritum detur parabula robandi .	„	9
Qualiter bannitus possit exire de banno	„	10
Si quis fecerit aliquem requiri et non venerit	„	11
Qualiter debeat unus extrahi de banno	„	12
Quod in bannis declaretur res et quantitas	„	13
De citationibus fiendis occasione damni	„	14
De firmamentis fiendis super preceptis	„	15
De salario servitoris clamantis banna	„	16
De modo proclamandi banna	„	17
De possessione tiediali recuperanda	„	18
Quod post possess onem decretalem detur possessio corporalis	„	19
Quod possit defendi a volente robare sine parabula . .	„	20
De officio extimatorum	„	21
De eodem	„	22
De eodem	„	23
De eodem	„	24
De eodem	„	25
De eodem	„	26
De instrumentis incidendis	„	27
Quod in cartis extimationum ponatur dies	„	28
Quid facere teneantur notarii qui rogant instrumenta ex- timationum	„	29
De termino dato servitoribus ad guarentandum robariam	„	30
De numero testium qui adesse debent introitibus . . .	„	31
De termino citationis fiende contra illum in cuius manu facta fuerit consignatio	„	32
Quod qui possederit rem per annum fiat possessor . .	„	33
Quod missus in possessionem rei aliter quam per sententiam non possit alienare	„	34
Quod non possit dari bannum occasione evacuationis terrarum	„	35
Quod fructus terrarum apprensarum possint contestari .	„	36
De guarentamento fiendo per servitorem	„	37

Quod quilibet possit esse procurator sine satisdatione	cap.	38
De pluribus procuratoribus constituendis	”	39
De procuratoribus non revocandis	”	40
De exemplo tutele et cure dando	”	41
Quod nullus servitor possit esse procurator	”	42
Quod nullus possit esse servitor nisi habitet etc.	”	43
De sacramento calomnie non prestando	”	44
Quod vicarius comunitatis non possit consulere	”	45
De banno dato condemnato	”	46
De sacramento non referendo per condemnatum	”	47
De banno dando condemnato sine requisitione	”	48
De parabula danda creditori contra condemnatum	”	49
De non dando libellum a libris XX infra usque ad X	”	50
De dilationibus non removendis	”	51
De parabula danda post bannum	”	52
De non dando parabolam intrandi ex forma contractus	”	53
De sacramento deferendo in supplementum probationis	”	54
De bonis forensium contestandis	”	55
De satisdatione prestanda per forenses ,	”	56
Quod bannum datum habeatur pro legitima excussione	”	57
De modo et termino respondendi interrogationibus	”	58
Quod nominans dominum in iudicio teneatur facere comparere nominatum	”	59
Quod ille qui protestatus fuerit se tenere non possit alium nominare	”	60
De satisdatione prestanda per eum qui dixerit se possidere	”	61
Quod forensis nominatus pro domino non audiatur, nisi prius fecerit fidem	”	62
De termino deliberandi si quis velit esse heres	”	63
De cessione non fienda post litem contestatam	”	64
Quod dies termini non computetur in termino	”	65
Initium statutorum super civilibus causis	”	66
De termino instantie cause principalis	”	67
De termino instantie cause appellationis	”	68
De termino respondendi libello	”	69
De termino statuto utrique parti ad probandum	”	70
De termino dato ad reprobandum	”	71
Quod exceptiones sint salve usque in finem	”	72
De termino committendi questionem	”	73
De questione librarum C et abinde infra committenda	”	74
De termino producendi actitata coram commissario	”	75
De presentatione consilii fienda	”	76
De questione terminanda per capitaneum si fuerit de voluntate partium	”	77

De termino dato ad appellandum	cap.	78
Quid teneatur facere appellans	„	79
De termino probandi in causa appellationis	„	80
De termino statuto ad reprobandum	„	81
De commissione fienda in causa appellationis	„	82
De presentatione repudiationis facte per commissarium	„	83
Quod capitaneus possit dicidere causam appellationis	„	84
De appellationibus committendis super sententiis latis per amicos	„	85
De non se appellando a sententia confirmata	„	86
De termino et modo se appellandi a sententia lata in causa appellationis	„	87
De statuto super civilibus servando	„	88
Quod statutum super civilibus non servetur in causis datiorum	„	89
De citationibus fiendis contra absentes	„	90
De testibus absentibus citandis	„	91
De responsionibus fiendis positionibus	„	92
Quod per vocem et famam probetur mors et filiatio	„	93
De tabellionibus accipiendis ad recipiendum testes	„	94
Quod bannitus non possit esse testis	„	95
De temporibus quibus debet ascendi banchum	„	96
Quod dies qua ascenderit banchum capitaneus habeatur pro una die utili	„	97
De die feriata que ceciderit in die termini	„	98
De iure reddendo forensibus	„	99
De rebus non auferendis laboranti terras	„	100
De venditione generali non probanda per testes	„	101
De ultima voluntate non probanda per testes	„	102
De donatione inter vivos non probanda per testes	„	103
De nullitate donationum	„	104
De sacramento prestando per donatorem et donatarium	„	105
De donationibus inter vivos	„	106
De rebus datis per sponsum sponse et e converso	„	107
De contractibus factis inter patrem laicum et filium clericum	„	108
De probando sententiam gentilitatis	„	109
De terra empta a massario	„	110
De massario terre contigue appellato a domino	„	111
De massario appellato a domino cuius est terra non contigua	„	112
Quod massarius non possit probare rem quam tenet esse suam	„	113
De emptione fienda specialiter et non generaliter	„	114
Quod colonus non possit alienare rem quam tenet	„	115
De investitura non recipienda per colonum ab alio	„	116
De colonis conveniendis personaliter	„	117
De massario inveniundo super terris vastis	„	118

De denuntiatione fienda per massarium domino	cap.	119
De letamine non exportando per massarium	”	120
Quod massarius non possit petere libellum a domino	”	121
De termino dimittendi rem locatam	”	122
De re locata non auferenda massario infra terminum locationis	”	123
De termino dato locatori ad denuntiandum conductori	”	124
De re locata dimittenda locatori	”	125
Quod de fictis summarie cognoscatur	”	126
De questionibus fictorum cognoscendis	”	127
De ficto solvendo primo domino per secundum dominum	”	128
De rebus locatis ostendendis domino	”	129
De non petendo fictum nisi de tribus annis proxime preteritis	”	130
De re non alienanda persone que non sit de iurisdictione	”	131
De oneribus substinendis per habitantes in comitatu	”	132
De expensis stratarum et pontium substinendis	”	133
De expensis potestatum solvendis	”	134
Quomodo solvi debeant expense facte occasione exercituum	”	135
Quomodo solvi debeant debita testamentorum	”	136
De decima non exigenda nisi de rebus consuetis	”	137
De non opponendo quin ius reddatur de decimis	”	138
De decima possessa per annos XL	”	139
De termino exegendi pignora	”	140
De comunantiis non alienandis	”	141
De bonis hereditatis non contestandis	”	142
Quod nullus sit heres cum beneficio inventarii	”	143
Quod quilibet possit succedere in feudis	”	144
De questionibus hereditatum summarie cognoscendis	”	145
De bonis describendis in questionibus hereditatum	”	146
De non legando uxori ultra libras L	”	147
De bonis defuncti perveniendis in agnatos paternos	”	148
De dote non preferenda priori credito	”	149
De oblatione fienda mulieri de denariis dotalibus	”	150
Quod bona soceri sint obligata nurui	”	151
De termino infra quem maritus faciat consultum uxori	”	152
De donatione propter nuptias relinquenda liberis	”	153
Quod contractus mulierum facti de hereditate habeant locum	”	154
De marito confitente se vergi ad inopiam condemnando	”	155
De dote non alienanda per uxorem	”	156
De dote lucranda per uxorem si supervixerit maritum, et e converso	”	157
Quod mulier non nubat extra iurisdictionem cum hereditate	”	158

De rebus consignatis hospiti restituendis	cap.	159
De solutione debiti recipienda per creditorem	„	160
De modo tenendo per eum qui se voluerit spoliare	„	161
De bonis prodigorum interdicendis	„	162
De interdictione bonorum que non prosit bene agenti	„	163
De refutatione feudi non fienda	„	164
Quod contractus receptus nomine alterius persone valeat	„	165
Quod iura pupillorum retenta per tutores non prescribantur	„	166
De duobus inventariis fiendis per tutores	„	167
De fideiussore qui possit capere illum pro quo fideiussit	„	168
De emancipatione non fienda	„	169
De emancipationibus scribendis in libro comunitatis	„	170
De emancipatione minoris annorum XIII ^{or} non fienda	„	171
Quod emancipatio non possit probari nisi per cartam	„	172
De bonis Deo dicatis	„	173
De ingredientibus domum regularem	„	174
Quod filius obligatus cum patre teneatur etc.	„	175
De terris que debent extimari ostendendis	„	176
De bonis consignandis in scriptis authenticis	„	177
De personis captis pro aliquo debito	„	178
De personis capiendis occasione depositorum	„	179
Quod consules teneantur ire cum servitore	„	180
Quod servitor non possit robare sine consule	„	181
Quod potestas vel consul teneatur capere debitorem	„	182
De quasi eodem	„	183
De quasi eodem	„	184
De personis non contestandis in carceribus	„	185
De persona conservanda a suo comuni	„	186
De carceratis pascendis	„	187
De personis captis non impediendis	„	188
De auferente per violentiam captum pro debito	„	189
De damno reficiendo per comunia	„	190
De damno dato per collectionem fructuum restituendo	„	191
De onere non imponendo ultra solitum	„	192
De cessione facta de instrumento falso	„	193
Quod servitor non possit esse procurator	„	194
De cessione non accipienda a forense	„	195
De non obligando se pro forense	„	196
Quod qui solvit pro comuni animo accipiendi iura non audiatur	„	197
De pena cedentis iura diversis personis	„	198
De sacramento prestando per cedentem et cessionarium	„	199
De questionibus cessionum comunis summarie cognoscendis	„	200
De expensis restituendis per victum victori	„	201

De expensis taxandis secundum partem obtentam . . . cap.	202
De oneribus substinendis per forenses	203
De retentione rei pro expensis factis in ea	204
De termino dando debitoribus comunitatis	205
De sacramento prestando per notarium	206
Quod notarius teneatur in eius subscriptione ponere nomen etc.	207
Quod nullus presbiter possit tradare cartas	208
Quod interrogationes et acta imbrevientur in quaternis (sine rubrica)	209
De instrumentis imbreviandis in quaternis	211
De scripturis non imbreviatis in quaternis	212
De predictis actitatis transcribendis	213
De condemnationibus ponendis in quaternis	214
De actione furti aquisita non habente virtutem	215
De restitutione non petenda per maiorem annis XXV	216
De non adhibendo fidem instrumentis rogatis per bannitum	217
De alienationibus rerum immobilium non preiudicanti- bus etc.	218
De personis capiendis pro pedagiis	219
Quod leges serventur ubi statuta deficiunt	220
De pena personarum non positarum in facultate	221
Quod summarie cognoscatur de questionibus mercedum	222
De scriptura negotiatoris publici	223
De aquis mortuis capiendis	224
De oneribus substinendis per habitantes in valle Lugani	225
De oneribus substinendis ubi laborantur terre	226
Quod stetur maiori facultati facultatum scriptarum ad canevam comunitatis	227
De partito dando in rebus dividendis	228
De questionibus divisionum cognoscendis	229
De arbitris assumendis in questionibus parentum	230
Quod arbitramenta non possint dici iniqua	231
De eodem	232
Quod dominium rei presumatur possidentis	233
De retrodatis fiendis non obstante preteritione	234
De accessu designando terris	235
De accessu non aquirendo super terris silvatis	236
Quod non fiat aliqua scriptura privata	237
Quod quelibet persona possit conveniri in solidum ex obli- gatione vicinantie	238
De salario commissariorum	239
Quantum habere debet notarius comunitatis de scripturis	240
De pena notariorum qui acceperint ultra predicta	241

De salario servitorum	cap.	242
Quod obligati vel condemnati debitorio vel fideiussorio nomine non possint esse testes	”	243
De processibus recuperandis infra annum	”	244
Quod nullus Lugani possit detineri nec eius bona con- testari ad petitionem non substinentis onera	”	245
Quod statuta ultimo facta valeant	”	246
De instrumentis que possunt expleri de imbreviaturis cancellatis	”	247
Quod nullus det mutuo alicui monasterio	”	248
Usque ad quantum possit servitor robare	”	249
Quod fiat unus liber datiorum	”	250
De questionibus datiorum summarie cognoscendis	”	251
De questionibus concludendis	”	252
De scolaribus non capiendis	”	253
De instrumentis quibus adesse debent secundi notarii	”	254
De questionibus terminorum et confinium terminandis	”	255
De questionibus legatorum summarie cognoscendis	”	256
Quod principalis debitor prius conveniatur	”	257
De abatibus notariorum eligendis	”	258
Quod fiat liber qui vocetur matricula notariorum	”	259
De notariis subrogatis ad explendum imbreviaturas exa- minandis	”	260
De notariis qui non possunt tradare cartas in iurisdictione	”	261
De dilationibus causarum propter messes et vendemias	”	262
De causis que debent differri occasione messium	”	263
De dilationibus causarum propter festa sanctorum	”	264
De personis que non possunt se obligare pro potu et cibo in taberna	”	265
Quod obligationes facte occasione bisclatie sint nulle	”	266
De nullitate processus et sententie facte ultra quantitates concessas	”	267
De pena non habentium consulem	”	268
Quod instrumentum malum presumatur solutum	”	269
De bonis vendendis in scriptis dandis	”	270
De eodem	”	271
De emptoribus predictarum rerum	”	272
Quod notarii officii notarie eligantur ad predicta	”	273
De iure dominorum servando in feudis	”	274
Quod statuta facta super rusticis serventur	”	275
Item non intelligatur de terris etc.	”	276
De venditionibus factis per comunitatem annullandis	”	277
De venditionibus factis voce preconia	”	278
De molinario qui tenetur macinare	”	279

De molinario qui tenetur consignare	cap.	280
De aqua tenenda in rugia per molinarium	”	281
De sepibus remondandis	”	282
De diebus in quibus prohibitum est facere mercatum	”	283
De columbis non capiendis	”	284
De principali debitore conveniendo per fideiussorem	”	285
De pena notariorum qui exercent officium procure	”	286
De forma pronuntiationis maioris etatis	”	287

Statuta criminalia.

De potestate domini capitanei inquirendi absque denun- tiatione nec accusa	cap.	1
Ex quibus delictis capitaneus non potest inquirere	”	2
De delictis specialiter non punitis	”	3
De pena volentis adulterare	”	4
Dies termini non computetur in termino	”	5
In delictis omni die procedi posse	”	6
De modo procedendi contra homicidas et eorum bona	”	7
De homicidiis perpetratis inter parentes	”	8
De pena mulieris necantis filium proprium	”	9
De pena facientis per alium homicidium perpetrari	”	10
De pena suppositi iurisdictioni homicidium committentis extra iurisdictionem in suppositum	”	11
De pena percutientis cum gladio vel sine	”	12
De pena occupantis rem alienam immobilem	”	13
De veritate dicenda per sacramentum in causis maleficiorum	”	14
De pena minantis in persona vel rebus	”	15
Contra inventum de nocte in horto vel domo alterius	”	16
De offensa illata bannito de vita	”	17
De furto in domo alicuius reperto	”	18
De fure capto et pena ipsius	”	19
De pena committentium furtum	”	20
De fure capto consignando	”	21
De damno dato per incendium vel vastum in quacumque domo	”	22
De pena comburentis domum	”	23
De pena capientis fortilitiam	”	24
De pena rumpentis pacem aut treguam	”	25
De pena apponenda inter discordes et pacem negantes	”	26
De pena facientis aut producentis chartam falsam	”	27
De pena facientis fieri citationem per non servitorem	”	28
De pena facientis se servitorem	”	29

De pena iurantis vel periurium proferentis aut mentitum dantis coram domino capitaneo	cap.	30
De pena officialis facientis dolo contra eius iuramentum	„	31
De pena ordinantis quod nullus conqueratur coram capi- taneo	„	32
De pena incidentis arborem fructiferam	„	33
De pena vetantis bannitum de maleficio capi	„	34
Quod notarii teneantur facere instrumenta infra statutum tempus	„	35
De solemnitatibus apponendis in instrumentis	„	36
De pena facientis scaccum aut roboriam	„	37
De pena abscondentis malefactorem vel dantis operam ut evadat	„	38
De preteritis in banno maleficii	„	39
Qui teneantur capere homicidas vel facientes fortiam cum sanguine	„	40
Contra proditores castrorum, villarum, terrarum etc.	„	41
De nuntiis portandis	„	42
De pena contra non prosequentem accusam	„	43
Pro capiendo malefactore omnes tenentur	„	44
De pena insultum cum gladio facientis	„	45
Contra dicentes verba iniuriosa coram domino capitaneo vel vicario	„	46
De pena facientis coniurationem contra rectorem	„	47
De pena dicentis falsum testimonium vel producentis falsos testes	„	48
Contra capientem aliquem de iurisdictione in ea et extra	„	49
Quis debeat torqueri in ipsis casibus	„	50
De malefactoribus captis consignandis	„	51
De arbitrio domini capitanei contra receptores furium et favorem prestantes	„	52
Quod malefactores teneantur satisfacere arbitrio capitanei	„	53
De pena tabernarii vel hospitis receptantis malefactores vel res ablatas	„	54
De pena permittentis robare clamantem auxilium in terra	„	55
De eodem in lacu	„	56
De eodem extra lacum	„	57
Quando licitum sit vulnerare et occidere	„	58
De pena occupantis fortilitiam contra honorem Regiminis	„	59
De eodem in supposito iurisdictioni	„	60
De forma servanda per scribam maleficiorum in cancellando banna	„	61
De forma servanda per dominum scribam	„	62
De custodibus et campariis in communibus seu villis	„	63

Quod quelibet singularis persona possit accusare . . . cap.	64
Quod accuse et denuntie dentur domino capitaneo seu vicario	65
De sacramento prestando notario maleficiorum per capi- taneum	66
De pena communis burgi aut ville non probantis accusam	67
Quod capitaneus et eius vicarius debeant temptare et videre de capiendo bannitos	68
Quod capitaneus et vicarius habeant liberum arbitrium tormentorum	69
Contra incisores burse	70
Quod massarius non possit recipere investituram ab alio	71
Quod nullus in domo sua teneat furem	72
Quod naute lacus non habeant aliquam societatem . .	73
De modo servando per bubulcos ducentes boves cum plaustris	74
Quod nullus vadat sine lumine de nocte	75
Quod nullus ire debeat per burgum post sonum cam- pane cum viola	76
Quod nullus tabernarius vendat post tertium sonum . .	77
Quod nullus teneat bislatiam in domo sua	78
Quod nullus prestat vel mutuet ad bisclatiam	79
Quod nulla obligatio valeat occasione bisclatie	80
Quod capitaneus accipiat securitatem ab infamatis tenere ludum taxillorum	81
Quod capitaneus debeat condemnare facientes contra predictum statutum	82
Si quis fecerit aliquod dedecus familie capitanei	83
Quod pene duplicentur in delictis factis de nocte . . .	84
Quod omnes ludi taxillorum sint prohibiti	85
Quod nullus faciat invitamentum	86
Quod nullus currat cum armis ad aliquam rixam	87
Quod nulla persona debeat dare cibum robatoribus . .	88
Quod currentes post homicidas non cadant in penam . .	89
Quod in causis criminalibus iudices dari non debeant .	90
Contra facientes facere relationem falsam	91
Contra capientes aliquem	92
Ad favorem illorum qui consignaverint aliquem domino capitano	93
Quicumque consignaverit aliquem bannitum	94
Si quis consignaverit aliquem bannitum, qui debeat per- dere membrum	95
De eodem vel quasi	96
De eodem vel quasi	97

De pena receptantis bannitum	cap.	98
Si quis arripuerit per vim aliquem bannitum	„	99
Si quis consignaverit aliquem bannitum de vita	„	100
De dando auxilium pro capiendis bannitis	„	101
Quod nullum bannum possit prorogari nisi semel	„	102
Quod nullus per burgum portare possit certa arma	„	103
De pena capientis columbos domesticos	„	104
Quod communitas non faciat statutum in damnum alterius	„	105
Si quis reperiatur habere aliquem accipitrem	„	106
Contra frangentem pacem	„	107
Quod capitaneus faciat condemnationes criminalium vel absolutiones singulis duobus mensibus	„	108
De sequimentis dandis per communitatem	„	109
De capiente aliquem famosum latronem	„	110
Contra facientem monetam falsam	„	111
Contra recedentem de consilio sine licentia	„	112
Contra consiliarium dicentem verba iniuriosa	„	113
Quod communitas non faciat exigere aliquod pedagium	„	114
Contra massarium vendentem uvas	„	115
De citationibus forensium ad valvas iuris faciendis	„	116
De pena dantis testes ignorantes in denuntiis	„	117
Quod nemo audeat currere cum debitores capiuntur	„	118
Quod nullus bannitus possit esse in officio	„	119
De libris condemnationum et liberationum in archivio ponendis	„	120
De iuramento faciendo per officiales domini capitanei	„	121
De accusis recipiendis et portandis per camparios	„	122
De non tormentando ubi non ingeratur pena sanguinis	„	123
Contra incidentem vineam vel devastantem plantam	„	124
Quod condemnatus pecuniarie possit exire a carcere fideiussione prestita	„	125
Contra arripientem violenter captum de fortia capitanei	„	126
Contra occidentem quem de quo sua hereditas in eum perveniret	„	127
Contra sodomitas, homicidas, incendiarios, veneficos etc.	„	128
De pena contra supradictos sodomitas et alios	„	129
Contra contemnentes mandata officialis domini capitanei	„	130
Contra iudices accipientes maiorem mercedem continentie statutorum	„	131
Quod nullus officialis possit habere partem in aliquo datio	„	132
Contra nolentes dare pignora servitori petenti	„	133
De expensis solvendis per victum in causis	„	134
Contra notarios causarum volentes patrocinari	„	135
De non ducendo personas ad carceres nisi presentatas capitaneo	„	136

Contra blasphemantes Deum vel Sanctos	cap.	137
Dies termini non computetur in termino	„	138
Contra aromatarios ponentes resinam in cercis	„	139
Contra notarios negantes petentibus instrumenta	„	140
Contra ingredientes monasteria monialium	„	141
De salario servitorum in maleficiis	„	142
De accusis dandis intra tres menses	„	143
Contra tenentes rethia perdicum	„	144
De non petendo ius sub alio iudice	„	145
Contra nominantem pro domino rei immobilis clericum vel aliquam ecclesiam	„	146
Contra frangentes carceres	„	147
De pena piscantium pisces tempore frigarum	„	148

Prooemium.

(fehlt in der ersten ältesten Handschrift aus der Zeit der Herrschaft der Rusca.)

In nomine Domini amen. Quoniam euangelica scriptura testatur, quod quecunq̄ue agimus in Dei nomine agere debemus iuxta illud Seuerini (B: poete) de philosophica consolatione, inuocandum quidem rerum omnium Patrem, quo pretermisso nullum rite fundatur exordium, illud idem docet sacratissimus Imperator Justinianus Codice de officio prefecti pretorio Africe lege In nomine Domini et in autentico de armis in principio, quia omne datum optimum et omne donum perfectum descendens est desursum a Patre luminum, Jacobo 1; eapropter nos fidei Christiane seruuli in huiusmodi statutorum examine inclinato humero et ceruice diuinum his metris flagitabimus presidium: *Omnipotens Pater eterne,*¹⁾ *qui federe versas res hominum, fer opem placidusque illabere menti, vt statuta et ordinamenta communitatis et hominum vallis Lugani et riperie valde diffusa et obscura in viam veritatis et iuris et iustitie conseruationem rite dirigere et ordinare valeamus ad fugiendum deceptiones et cautelas, refrenandum vitia et mores hominum in melius componendum, quia quanto iuniores tanto*

¹⁾ So in B und T, doch zweifellos verschrieben für eterno, wodurch der Hexameter prosodisch richtig gestellt wird und mit Umstellung der Interpunktion der Satz einen besseren Sinn erhält: Omnipotens Pater, eterno qui federe versas — res hominum etc.

perspicatiores. Idcirco infrascripti statutarii per communitatem vallis Lugani et ripperie in publico consilio generali totius dicte communitatis nemine discrepante solemniter et concorditer electi sub felici dominio magnifici et potentis domini domini Aloysii de sancto Seuerino armorum magnanimi capitanei et antedicte vallis Lugani et ripperie domini, necnon sub regimine spectabilis et generosi viri domini Blasii de Altomonte dicte vallis et ripperie capitanei et prelibati domini generalis locumtenentis, ad honorem omnipotentis Dei beateque virginis Marie eius matris necnon beati Laurentii dicte communitatis et hominum seduli protectoris nominibus inuocatis infrascripta statuta facere et ordinare procurarunt anno Domini currente millesimo quadringentesimo trigesimo nono indictione tertia die vigesimo tertio mensis nouembris, assumendo et colligendo vetera statuta rite et recte confecta et alia de nouo faciundo veteribusque addendo, minuendo pariter et reformando, prout eis inspirante diuina gratia melius videbitur et apparebit.

Quorum statutariorum nomina hec sunt, videlicet sapiens et egregius legum doctor d. Joannes Bonus de Madiis de Salis, domini Girardus Carolus, Donatus Castanea ambo causidici dicte vallis Lugani, et Antonius Martella de Sala notarius publicus etc.

Statuta civilia.

I. De arbitrio domini capitanei.¹⁾

Imprimis statutum est et ordinatum, quod capitaneus comunitatis vallis Lugani et ripperie et eius vicarius qui presentes sunt et omnes alii eorum successores qui pro temporibus erunt et vterque eorum habeant et habere debeant merum et mistum imperium et omnimodam gladii potestatem, iurisdictionem, auctoritatem et bayliam animaduertendi in facinorosos et nefarios homines in tota iurisdictione comunitatis predicti comitatus, ac per eos et quemlibet eorum reddatur et fiat ius de omnibus questionibus et quantitibus et speciebus et debitis et iuribus.

II. De salario domini capitanei.

Item statutum est, quod capitaneus comunitatis dicti comitatus vallis Lugani et ripperie qui nunc est et pro temporibus erit habeat et habere debeat pro suo salario omni

¹⁾ Übers. Ba. hauptman oder landvogt.

mense a comunitate dicti comitatus vallis Lugani et ripperie libras quadregenta octo terciolorum¹⁾ soluendas per ipsam comunitatem de ordinario, et libras tregenta duas terciolorum soluendas per dictam comunitatem de condemnationibus per ipsum fiendis, ac habere teneatur et debeat secum suis expensis vnum vicarium valentem et bene morigeratum, famulos duos, regatium²⁾ vnum, coquum vnum et equos duos.³⁾

III. De sacramento capitanei.

Item statutum est, quod capitaneus comitatus vallis Lugani et ripperie et eius vicarius et vterque eorum teneatur et debeat ea die vel sequenti qua applicuerit⁴⁾ in publica conctione facere sacramentum hoc modo: Juro ego talis ad sancta Dei euangelia manibus corporaliter tactis scripturis quod toto tempore mei regiminis regam homines et comunia dicte comunitatis vallis Lugani et ripperie iuste et legaliter et ipsorum bona, iurisdictiones et honores ad honorem, statum, conseruationem et augmentum magnificorum et potentum dominorum nostrorum dominorum comitum de Ruschonibus vallis predictae Lugani⁵⁾ etc. heredumque et successorum suorum ac vtilitatem comunem dictorum hominum et comunium manutenebo et bona fide sine fraude pro posse defendam, furtum, damnum nec diminutionem de rebus ipsorum non faciam posse meo; incantus, condemnationes, ficta, redditus et prouentus quoscunque dicte comunitatis bona fide pro posse exigam et in ipsam comunitatem peruenire faciam; dabo operam quod in dicto comitatu ac ripperia erit bonum forum victualium et quod omnes strate erunt secure; hereticos cuiuscunque vocabuli a fide catolica deuiantes vtriusque sexus, bannitos de malefitio, fures, latrones, falsarios et alios malefactores pro posse perseguar et apprehendam et ipsos pena debita castigabo; ecclesiis et aliis piis locis, pupillis, viduis et aliis miserabilibus personis fauorabilem iustitiam exhibebo et ipsos manutenebo et pro posse defendam; consilium, operationem, auxilium vel fauorem non dabo nec faciam nec per alium dari

¹⁾ Ba. achtundvierzig kleine Pfund.

²⁾ B: ragatium.

³⁾ B und T fügen bei: et plus et minus ad beneplacitum prefati domini capitanei.

⁴⁾ B: placuerit. Ba. uff den tag oder morndes syner Zuokunft.

⁵⁾ B: augmentum magnifici et excelsi domini domini Aloysii de sancto Seuerino dicte vallis Lugani. T: augmentum dicte vallis Lugani etc. heredumque u. s. w.

nec fieri permittam iuxta posse ad aliquid quod possit in damnum prefatorum dominorum comitum¹⁾ seu comunitatis predictae vel hominum eiusdem redundare; donum, ensenium²⁾ ab aliqua persona subdita dicte comunitati non recipiam nec per submissam personam recipi faciam, nisi esulentum et potulentum, quod in paucis diebus consumi possit; statuta, prouisiones et reformationes dicte comunitatis obseruabo et obseruari faciam ac in iuditiis et extra secundum predicta iura iudicabo et eis deficientibus secundum leges et iura comunia; et predicta omnia toto tempore mei regiminis bona fide sine fraude pro posse seruabo ad honorem, statum et augmentum magnificorum dominorum dominorum comitum prefatorum³⁾ heredumque et successorum suorum. Saluis semper et reseruatis litteris et mandatis prefatorum dominorum.³⁾

III. De sindicatu capitanei.

Item quod capitaneus vallis Lugani et ripperie et eius vicarius et vterque eorum finito eorum officio nullo modo recedant a valle Lugani antequam fuerint sindicati de iis que in eorum officio gesserint, sed stare debeant ad sindicatum suum per quattuor dies post finem dicti eorum officii continue numerandos, dando bonos et ydoneos fideiussores de libris mille terciolorum; et ipsis quattuor diebus elapsis nullus aliquid de nouo petere vel contra ipsos vel alterum eorum opponere volens vterius audiatur, et ob hoc non impediatur, sed ad eorum et vtriusque eorum libitum recedere possint. Et prout eorum et vtriusque eorum gesta meruerint, sindicator ipsos et vtrumque eorum absoluat vel condemnet.

V. De citationibus fiendis.

Item statutum est, quod omnes citationes, que fient per seruitores comunitatis vallis Lugani et ripperie, debeant fieri illis personis que requiri debent, si personaliter reperiantur, vel domi in qua habitant ipse persone vel earum familie, et quod seruitores teneantur et debeant dimittere exempla citationum quas facerent dictis talibus personis vel domibus habitationis earum in scriptis, aliter citatio facta non valeat.

VI. De forensibus citandis.

Item statutum est, quod quilibet non habitans in burgo, valle et ripperia Lugani, qui teneatur alicui subiecto iuris-

¹⁾ B und T: prelibati domini nostri.

²⁾ B: xenium. T: enxenium.

³⁾ B und T: prefati domini.

ditioni dicte vallis Lugani de aliqua re dare et soluere per formam alicuius contractus vel promissionis vel alio modo, possit citari ad portam domus regiminis et iuris comunitatis dicte vallis et ripperie, data tamen tali dilatione quod notitia possit peruenire ad aures dicti citati vel requisiti et redire; et super ipsis citationibus possit procedi omnibus modis sicut si citatio facta esset ipsi personaliter. Et quod hoc statutum seruetur contra quamlibet personam foritaneam et eius heredes, que teneretur alicui subiecto iurisdictionis comunitatis predicte dare et soluere vt supra.¹⁾

VII. De banno dando.

Item statutum est, si aliqua persona citata fuerit personaliter vel domi sue habitationis vel ad portam domus regiminis dicte comunitatis, si habitationem non habuerit in burgo, valle nec ripperia Lugani, vel ei preceptum aut statutum fuerit per capitaneum aut eius vicarium vel eorum delegatos vt veniat facere rationem sub capitaneo vel vicario vel eorum delegatis actori, et non venerit, detur ei bannum,²⁾ si placuerit illi qui eum requiri fecerit, de quo banno³⁾ non eximatur nec audiatur per iudicentem, nisi prius persoluerit actori expensas contumacie, et non aliter.

VIII. Quod quilibet possit citari in domo regiminis sine precepto.

Item statutum est, quod quelibet persona existens in domo regiminis predicte comunitatis possit requiri et ei preceptum fieri⁴⁾ iussu domini capitanei vel eius vicarii vel locumtenentis per aliquem seruitorem sine aliqua scriptura, et si non venerit, detur ei bannum ac si citatus fuisset et dato sibi exemplo precepti⁵⁾ in scriptis.

¹⁾ B und T enthalten hier noch folgendes Kapitel:

VII. De forensibus litigantibus (T: De citatione forensium).

Item statutum est, quod quilibet forensis, quem contigerit litigare cum aliquo iurisdictionis vallis Lugani, tam in agendo quam in defendendo, statim in ipsa litis contestatione teneatur et debeat eligere sibi domicilium in burgo Lugani, vbi possit in eadem causa semper citari, aliter valeat citatio facta de vnoquoque actu fiendo ad portam domus regiminis dicte comunitatis.

In Be steht dieses Kapitel am Ende der Civilstatuten als c. 285.

²⁾ Ba: so solt er in ein Ungehorsamkeit verfallen sin.

³⁾ Ba: aus welcher Verfallung.

⁴⁾ Ba: und ihm gebotten werden.

⁵⁾ Ba: Copsy eines Bottbriefs.

VIII. Quod post bannum preteritum detur parabula robandi.

Item statutum est, quod post bannum datum et preteritum per tres dies currentes a die banni dati in antea computandos possit et debeat dari parabula robandi illum seu illos qui in banno positi fuerint, et contestandi de bonis suis vsque ad quantitatem contentam in citationibus super quibus fuerit datum bannum, et aliter parabula data non valeat nec teneat nec super ea aliqua executio fieri possit.¹⁾

X. Qualiter bannitus possit exire de banno.²⁾

Item statutum est, quod si quis positus fuerit in banno et exire voluerit de banno et fecerit citari actorem vt veniat et compareat coram capitaneo vel eius vicario vel eorum delegatis recipere solutionem et rationem ab eo vel cum iuribus suis, et postea non venerit et secundo positus fuerit in banno, non audiatur postea per iudicentem, nisi prius soluerit expensas contumacie et deposuerit penes ydoneam personam rem vel denariorum quantitatem que petitur.³⁾ Et quod in dictis preceptis que fierent comparandi cum iuribus suis non ponatur terminus vltra dies quinque⁴⁾ ad plus.

XI. Si quis fecerit aliquem requiri et non venerit.⁵⁾

Item statutum est, si quis fecerit requiri aliquem vt veniat facere rationem sibi de aliquo et ipse vel eius nuntius non venerit ad terminum statutum vel in citatione positum, teneatur soluere expensas quas fecerit ille qui requisitus

1) Ba übersetzt: Das nach der Ufzeichnung der Ungehorsamkeit man solle ein Pfandtbrieff vergonnen den der etc. Item es ist gesetzt, das nach dem einer in Ungehorsamkeit genomen ist, nach dry Tag an einanderen ze rechnen nach dem Tag der Ufzeichnung sollicher Ungehorsamkeit, das man möge und solle geben ein Pfandtbrieff wider den oder die, so in Ungehorsamkeit gesetzt sind, und von iren Gietern verheften bis uf die Summa und Anzal in Bottbrieffen vergriffen, uf welchen die Verfallnus der Ungehorsamkeit gesetzt ist. Sonst soll ein vergönter Pfandtbrieff craftlos syn und nit gelten, jee das uf demselbigen keyn Vollstreckung beschächen mögen.

2) Ba: Wie ein Verfallener sich möge us der Ungehorsamkeit erledigen.

3) B und T fügen bei: constante prius de debito.

4) dies quindecim? vgl. cap. 23 und Übersetzung in Ba: über die fünfzechen Tag zum meisten.

5) T fügt bei: teneatur ad expensas.

fuerit et venerit, si parabulam eundi domum habuerit requisitus vel si contumaciam actoris accusauerit, et requisitus non teneatur postea respondere nisi prius sibi resarcitis expensis taxandis arbitrio capitanei vel eius vicarii; et quod si aliquis habuerit parabulam eundi domum, quod citari non possit aliquo modo ad petitionem illius contra quem acceperit parabulam vel contumaciam accusauerit, ante tres dies post illam parabulam vel contumaciam, et si aliter factum fuerit, non valeat; et illud damnum quod habuerit ille qui requisitus fuerit post parabulam datam vel contumaciam, ei restituatur ab eo qui requiri fecerit eum.

XII. Qualiter debeat vnus extrahi de banno.

Item statutum est, quod capitaneus comunitatis Lugani et vallis et ripperie et eius vicarius teneatur per sacramentum extrahere et extrahi facere de bannis et de scriptis autenticis et exemplis bannorum omnes personas que satisfacissent de ipsis debitis pro quibus datum fuisset ipsum bannum.

XIII. Quod in bannis declaretur res et quantitas.

Item statutum est, quod in bannis, que dantur hominibus comunitatis vallis Lugani et ripperie,¹⁾ debeat scribi res et quantitas de qua est controuersia, seu id quod in scripto requisitionis continetur, et aliter non debeat dari bannum, et etiam ponatur nomen et cognomen banniti seu bannitorum et nomen et cognomen illius vel illorum, ad cuius vel ad quorum petitionem bannum datur, et si aliter datum fuerit, non valeat illud bannum.

XIIII. De citationibus fiendis occasione damni.

Item statutum est, quod si aliquis fecerit aliquem citari pro aliquo damno sibi facto pro vasto, schaco²⁾ vel rapina, incendio vel furto vel alio damno, teneatur et debeat describi facere extimationem damni seu quantitatem seu rem que petitur in preceptis que fierent dicta occasione, aliter citatio facta non valeat.

XV. De firmamentis fiendis super preceptis.

Item statutum est, quod si quis citatus fuerit ad instantiam alicuius persone, vt veniat coram capitaneo seu eius

¹⁾ B und T fügen bei: ac etiam forensibus.

²⁾ T: schacho.

vicario facere rationem et solutionem de aliqua quantitate denariorum vel aliqua re et ad contradicendum ne detur parabula intrandi in possessionem bonorum suorum vsque ad quantitatem contentam in preceptis, et non venerit, detur ei bannum vel firmetur preceptum, quo firmamento seu banno dato detur actori si voluerit parabula intrandi in possessionem super bonis requisiti vsque ad quantitatem denariorum et rerum contentam in precepto seu citatione sibi facta.¹⁾

XVI. De salario seruitoris clamantis banna.

Item statutum est, quod seruitores qui clamant sub capitaneo vel vicario habeant et habere debeant pro clamazione²⁾ pro quolibet clamato imperialem vnum et non plus.

XVII. De modo proclamandi banna.

Item statutum est, quod in cridis faciendis per seruitores seruetur modus infrascriptus, videlicet quod primo proclamentur cassamenta et parabule eundi domum, et interuallo si est aliquis qui velit facere cassari vel accipere parabolam eundi domum, et si nemo tunc comparuerit, postea proclamentur banna et firmamenta et possessiones,³⁾ et postquam inceperint proclamare banna, firmamenta et possessiones,³⁾ amplius illa hora non debeant proclamare aliquam parabolam eundi domum vel aliquod cassamentum, sed ille contra quem fuerit proclamatum, possit comparere coram capitaneo vel eius vicario et facere scribi presentiam suam et accusare contumaciam partis aduerse, si pars aduersa recesserit, antequam capitaneus vel eius vicarius de bancho descenderit.

XVIII. De possessione tediāli recuperanda.

Item statutum est, quod si alicui data fuerit possessio de aliqua re, vt tedio affectus⁴⁾ veniat responsurus, aduersarius possit ipsam possessionem infra annum recuperare, resarcitis expensis omnibus scilicet seruitoris et possessionis et processuum inde factorum et esus et potus illi cui data fuerit possessio, vt tedio effectus, et secunda possessio non detur nisi prima fuerit recuperata, et tertia possessio non detur nisi aliis recuperatis. Item non audiatur si tertio contra eum data fuerit possessio, sed efficiatur ille, contra quem

¹⁾ T fügt bei: Et quod possit exire de banno solutis expensis.

²⁾ Be und B: clamatura. T: clamatiua.

³⁾ B und T: possessiones tediales.

⁴⁾ T: effectus.

data fuerit possessio illa tertio, de possessore¹⁾ petitor. Sed cui tres possessiones date fuerint per quemlibet seruitorem vallis Lugani et ripperie, inductus²⁾ in possessionem sciente eo contra quem mittitur, quibus possessionibus vel aliqua earum datis nichilominus possit actor de causa procedere.

XVIII. Quod post possessionem decretalem detur possessio corporalis.

Item statutum est, quod si aliquis habuerit possessionem decretalem datam sibi vel amodo dandam per capitaneum vel eius vicarium contra aliquem vel aliquos, quod possit accipere possessionem corporalem a die qua data fuerit vel erit possessio decretalis vsque ad annos duos non citato seu non citatis illo seu illis contra quem seu quos data fuerit possessio decretalis.

XX. Quod possit defendi a volente robare sine parabula.

Item statutum est, quod omnes persone burgi vel ville comunitatis vallis Lugani et ripperie possint se defendere ab omnibus personis que vellent eos depredari, nisi haberent³⁾ parabolam secum datam per dominum capitaneum seu eius vicarium, vel nisi habuerint secum seruitorem, vel nisi fecerint pro suo facto super suum massaritium de ficto vel reddito terre.⁴⁾

XXI. De officio extimatorum.

Item statutum est, quod extimatores comunitatis vallis Lugani et ripperie possint et debeant extimare et in solutum dare creditoribus (Be: tam) de rebus non consignatis a debitoribus et eorum fideiussoribus sicut de consignatis, et creditoribus liceat sibi facere extimari de quibuscunque rebus debitorum suorum vsque ad quantitatem denariorum et aliarum rerum de quibus apparerent veri creditores, et etiam pro expensis factis et fiendis.

XXII. De eodem.

Item statutum est, quod extimatores comunitatis vallis Lugani et ripperie non possint extimare aliquas res alicuius

¹⁾ T: de possessione.

²⁾ In Be ist inductus durchgestrichen und darüber gesetzt: induci possit.

³⁾ Be: habuerint.

⁴⁾ B und T fügen bei: re exigente celeritatem contra massarium.

persone dicte comunitatis,¹⁾ nisi prius ille qui extimari voluerit denuntiauerit illi cuius res et terre debent extimari vel domi eius vbi habitat seu ad portam domus regiminis et iuris predicte comunitatis, si domum habitationis non haberet in iurisdictione predicte comunitatis, per cartam seu scriptum. Et quod denuntiatio fiat per decem dies antequam extimetur, et quod interim nulla alienatio rerum eius facta a debitore valeat infra ipsos decem dies; et ipsa scriptura denuntiationis fieri debeat per scribas seu notarios officii notarie dicte comunitatis, et dimittatur exemplum denuntiationis authenticatum manu notarii dicti officii;²⁾ et quod ipsi extimatores nec seruitores nec dicti notarii possint esse procuratores vel nuntii illorum qui volunt facere extimari ad faciendum extimationem vel denuntiationem. Et si contra predicta facta fuerit extimatio, nullius sit momenti et valoris.

XXIII. De eodem.

Item statutum est, quod extimatores dicte comunitatis possint et debeant extimare et in solutum dare creditoribus eorum arbitrio de rebus debitorum et fideiussorum, dum in banno creditoris sui preteriti sint, preteritis quindecim diebus post preteritum bannum, licet ipsi debitores et fideiussores non sint condemnati, et licet bona sua non consignauerint. Et hoc fiat ipsis creditoribus ostendentibus instrumenta debiti.

XXIII. De eodem.

Item statutum est, quod si qua extimatio fieret de bonis alicuius debitoris per extimatores dicte comunitatis, quod ille debitor cuius fuerint extimata illa bona et heredes eius habeant vim exigendi bona illa vsque ad annum vnum proxime sequentem post dictam extimationem tantum et res mobiles infra duos menses post extimationem, soluendo illam quantitatem denariorum vel rerum debitam et expensarum iuste factarum, pro qua facta fuerit illa³⁾ extimatio, et non aliter nec alio modo recuperare possit. Que adiectio habeat locum in extimationibus venturis et non preteritis. Et quod fructus percepti in ipso anno non possint computari in sorte.

¹⁾ B und T fügen bei: vel alterius persone possidentis in dicta comunitate immobilia.

²⁾ Ba: des Bankschrybers.

³⁾ T: ipsa.

XXV. De eodem.

Item statutum est, quod extimationes fiant et fieri possint diebus feriatis et non feriatis, dum tamen denuntiatio facta fuerit secundum statutum.¹⁾

XXVI. De eodem.

Item statutum est, quod si quis fecerit extimari de bonis alicuius alterius seu acceperit iura et actiones pro defensione alicuius rei seu iurium aliquorum vel aliquarum, quod super breuibus et condemnationibus²⁾ et instrumentis, occasione quorum facta sunt iura pro defensione, scribatur per illum notarium qui tradidit instrumentum extimationis et cessionis et dationis in solutum, quod de hoc debito sunt res extimate et in solutum date, si hoc breue remaneat penes illum expresso nomine, cui cessa sunt iura pro defensione, et scribatur in illa subscriptione nomen tabellionis qui tradidit ipsa instrumenta extimationis et cessionis seu in solutum dationis, et natiuitas Domini, dies et mensis, que subscriptio fiat inter ipsum breue seu condemnationem seu instrumentum; et si aliquis tabellio omiserit predictam subscriptionem facere, condemnetur in soldis quadragenta terciolorum,³⁾ et capitaneus teneatur ipsam penam exigere, et non possit prohiberi per aliquem, quin ipsa subscriptio fiat.⁴⁾

XXVII. De instrumentis incidendis.

Item statutum est, quod quilibet notarius qui tradiderit aliquod instrumentum venditionis, donationis vel cessionis de aliquibus breuibus, dotibus, obligationibus vel condemnationibus vel nominibus debitorum ad defensionem aliquarum rerum vel ad petendum in casu euictionis existente, teneatur et debeat se subscribere in huiusmodi breuibus et aliis instrumentis donatis que pertinerent ad defensionem, dicendo: Ego talis notarius hoc breue siue hanc condemnationem vel

¹⁾ Be, B und T fügen bei: et quod dicti estimatores habeant pro eorum salario vsque ad libras quinquaginta tert. imperiales sex pro singula libra, et a quinquaginta vsque ad libras centum imperiales quattuor pro singula libra, et a libris centum supra (Be und T: vsque ad omnem quantitatem) imperiales tres pro singula libra tert.

²⁾ Condemnatio in Ba jeweilen durch Bekanntnuss übersetzt.

³⁾ Ba: 40 Sagürly das ist zwentzig Crützer.

⁴⁾ B und T fügen bei: et aliter estimatio, cessio vel in solutum datio non valeat.

alias sicut fuerit instrumentum subscripsi, ad euidenciam quod remanet in defensione rerum, et vltra subscriptionem notarii incidatur instrumentum subscriptum in medio, et nichilominus instrumentum in suo persistat robore et vigore quo ad defensionem et quo in casu euictionis ad petendum.

XXVIII. Quod in cartis extimationum ponatur dies.

Item statutum est, quod in cartis extimationum ponatur dies, mensis, natiuitas Domini, indictio et nomen iudicis vel notarii et quantitas breuis seu carte et eius annus, dies, mensis et indictio, pro quo vel qua¹⁾ fit extimatio, et ille cuius res extimantur habeat exemplum carte extimationis exemplate per illum notarium siue iudicem qui eam fecit, et ita exemplum valeat sicut autenticum, si ille contra quem facta fuerit extimatio, voluerit, et hoc expensis ipsius contra quem facta fuerit extimatio.

XXVIII. Quid facere²⁾ teneantur notarii qui rogant instrumenta extimationum.

Item statutum est, quod notarii officii notarie dicte comunitatis qui tradiderint et imbreuiauerint cartas extimationum, accipiant et habeant solutionem dictorum instrumentorum extimationum secundum quod taxatum fuerit per extimatores, et in ipsis cartis ponatur annus, dies, mensis et indictio et nomen et cognomen notarii et quantitas breuis, instrumenti seu carte debiti, et annus, dies, mensis et indictio breuis seu carte, pro qua vel quo fit extimatio vel facta est, et plures carte rogari possint et fieri vnus et eiusdem tenoris et substantie de qualibet extimatione, et pro pretio taxando per dictos extimatores cuilibet petenti, cuya intersit, teneantur dare cartam vnam seu instrumentum, et ipsas omnes cartas extimationum ponant et scribant in quaternis quos bene saluent penes se, et nullum aliud lucrum habeant nec habere possint dicti notarii ratione vel occasione dicti officii, exceptis expensis quas habere possint quando iuerint extra confinia burgi Lugani cum extimatoribus dicte comunitatis pro suo officio.

XXX. De termino dato seruatoribus ad guarentandum robariam.

Item statutum est, quod quilibet seruator comunitatis comi-

¹⁾ B: pro quanto vel quanta.

²⁾ T und Be: Quantum habere.

tatus vallis Lugani et ripperie, qui fecerit vel preceperit¹⁾ aliquam robariam vel captionem vel aliquam consignationem de aliqua persona seu de aliqua re seu bestia vel aliquibus rebus seu bestiis, quod illud guarentamentum de eo quod fecerit vel preceperit¹⁾ facere teneatur infra decem dies proxime futuros computandos a dicta²⁾ die in antea qua facta fuerit per se³⁾ illa robaria, consignatio vel contestatio, ita quod inde scriptum sit infra ipsum terminum per scribas officii predictae comunitatis ad hoc deputatos, et si ita factum non fuerit infra ipsum terminum, guarentamentum non valeat nec teneat nec ei fides adhibeatur. Illud idem intelligatur in guarentamentis que fiunt per seruitores sicut ponunt aliquem in possessionem per fortiam alicuius rei mobilis vel immobilis vel in possessionem corporalem, quod seruitores teneantur relationes personaliter facere infra terminum preceptorum preconizamentorum, et notarii qui scripserint precepta vel preconizamenta scribere relationes seruatorum teneantur, declarando diem, locum et vtrum personaliter vel aliter⁴⁾, et quod seruator habere debeat vltra se duos testes ad minus quando contingat fieri aliquam robariam excedentem summam librarum quinquecenta terciolorum, quibus testibus credatur.

XXXI. De numero testium qui adesse debent introitus.

Item statutum est, quod si contingat fieri per seruitores dicte comunitatis aliqua captio vel introitus possessionis, quod adsint cum ipsis seruatoribus ad minus duo testes, quibus testibus credatur.

XXXII. De termino citationis fiende contra illum in cuius manu facta fuerit consignatio.

Item statutum est, quod si qua preda, robaria, depositum vel persona vel fructus de cetero consignabitur seu contestabitur per aliquem seruitorem ad petitionem alicuius persone in manu alicuius comunis vel alicuius alterius persone tam suo nomine quam nomine comunis pro aliquo debito, quod illud comune et persona debeat citari infra medium annum post ipsam consignationem vel contestationem factam, quod

¹⁾ B: perceperit.

²⁾ Be und T: ab illa.

³⁾ Be: pro se.

⁴⁾ T: personaliter an non.

ad certum terminum consignet ipsam rem, predam, depositum vel personam vel fructus in fortiam illius persone, ad cuius petitionem consignatum vel contestatum fuerit, et si infra ipsum terminum citatio facta non fuerit, ipsum comune vel persona non teneatur postea de ipsa consignatione vel contestatione¹⁾).

XXXIII. Quod qui possederit rem per annum fiat
p o s s e s s o r .

Item statutum est, quod si alicui persone vel vniuersitati data fuerit per capitaneum vel eius vicarium comitatus vallis Lugani et ripperie parabula intrandi in possessionem per fortiam alicuius rei contra aliquam personam vel vniuersitatem, que tempore ipsius parabule ipsam rem possideat²⁾ et contra quam de ipsa re possessionem tedialem habuerit, et pro predicta parabula in possessionem predictae rei intrauerit et eam rem continue per annum vnum tenuerit, quod efficiatur de ipsa re possessor. Et hoc habeat locum, nisi ille contra quem data fuerit parabula fuerit per sententiam condemnatus vel ex confessione, quo casu recuperari non possit infra annum vnum, nisi soluerit vel deponat; saluo quod si dicta parabula data fuerit contra aliquem non possidentem tunc rem que petitur et de qua data est parabula, nullum fiat preiudicium possidenti ipsam rem tempore dationis ipsius parabule.

XXXIIII. Quod missus in possessionem rei aliter
quam per sententiam non possit alienare.

Item statutum est, quod ille qui missus fuerit in possessionem alicuius rei vel rerum aliter quam per sententiam latam, non possit aliquo modo alienare nec desinere possidere ipsam rem vel res, et si aliquo modo alienauerit vel desierit possidere, nichilominus possit ipsa possessio recuperari vsque ad annum vnum secundum modum predicti proximi statuti; et ille cui facta esset alienatio et possideret ipsam rem, teneatur ad restitutionem ipsius rei, quamuis carta alienationis

¹⁾ B und T fügen bei: Et ipse, penes quem fuerit dicta consignatio vel contestatio, teneatur quandocunque fuerit requisitus infra tempus dictorum sex mensium, dictas res contestatas et consignatas consignare absque aliquo interuallo sub pena soluendi debitum, pro quo dicta contestatio et consignatio facta fuerit. Et dicta consignatio fiat ad terminum limitandum per dominum capitaneum vel eius vicarium.

²⁾ T: possiderit.

inde non appareat, sicut teneretur ille cui data esset parabula intrandi in possessionem et intrasset in eam possessionem. Et si ille cui data esset parabula intrandi in possessionem et intrasset in possessionem et desineret possidere aliquo modo, et aliqua persona, que non sit subiecta iurisdictioni comunitatis vallis Lugani, inueniatur possidere, nichilominus ille cui data fuerit illa parabula, teneatur ad restitutionem ipsius possessionis vsque ad annum vnum, si recuperari voluerit suprascripto modo, et ipsa occasione possit capi et personaliter detineri, et hoc summarie cognoscatur sine datione libelli.

XXXV. Quod non possit dari bannum occasione euacuationis terrarum.

Item statutum est, quod de cetero non possit nec debeat dari bannum alicui persone nec vniuersitati occasione euacuationis terrarum, domorum et rerum territoriarum per primum preceptum, sed per secundum tantum. Sed primum preceptum primo firmetur et ipso firmato secundum preceptum impetretur sub certa pena et banno, per quod preceptum bannum dari debeat. Et si aliter datum fuerit bannum ipsa occasione, non valeat nec teneat, saluo si agatur reali actione, quod per primum preceptum dari debeat et possit possessio tederalis contra illam personam cui fieri debet ipsum preceptum, si non data fuerit. Et si data fuerit, seruetur et seruari debeat hoc statutum.

XXXVI. Quod fructus terrarum apprensarum possint contestari¹⁾ etc.

Item statutum est, quod post bannum²⁾ datum et preteritum et parabolam datam accipiendi et contestandi et intrandi in possessionem vel robandi de bonis alicuius debitoris vel heredum eius fructus et gaudimenta³⁾ omnium terrarum et rerum territoriarum bona et res dicti debitoris sita in aliquo burgo et loco seu territorio vel penes aliquam personam comunitatis vallis Lugani et ripperie possint et valeant contestari penes illud comune vel illam personam, in cuius loco et territorio dicte terre et res vel penes quem iacent et site sunt, ad petitionem illius creditoris ad cuius petiti-

¹⁾ Ba: verhefft werden.

²⁾ T: terminum.

³⁾ Ba: Nutzung.

onem bannum vel parabula data fuerit. Quod quidem commune et persona debeat ipsos fructus et gaudimenta et res colligere et saluare et colligi et saluari facere ad expensas ipsorum fructuum et gaudimentorum et rerum, tamen liceat creditori ibi esse presens vel suum specialem nuntium ibi habere, si ibi esse presens vel suum specialem nuntium habere voluerit et ei placuerit; saluo si ipse debitor, cuius dicte terre et res sunt, esset ita potens quod locus in cuius loco et territorio predictae terre et territorie res et alie res iacerent et essent, non posset resistere ipsi debitori, quin ipsum commune et homines dicti loci valeant et possint ipsos fructus et gaudimenta colligere et colligi facere, prestito prius iuramento a sindico speciali dicti comunis et hominum, possint et debeant adiungi et compelli alia duo comunia proximiora dicto comuni ad ipsos fructus et gaudimenta colligendos et alias res saluandas, et de predictis et infrascriptis omnibus et singulis teneantur omnes habitantes in ipso loco et territorio, et ipsos fructus et gaudimenta collectos vt supra dictum commune teneatur et debeat sine datione libelli et strepitu iudiciorum restituere et dare creditori vel creditoribus, ad cuius vel ad quorum petitionem contestati fuerint, habenti vel habentibus potiora iura in ipsis fructibus, et predicta consignatio vel restitutio fieri debeat ad expensas ipsorum fructuum et gaudimentorum. Que quidem testamenta fieri debeant per notarios officii comunitatis predicti comitatus, prout ordo iuris postulat et requirit; saluo quod si ille debitor soluerit vel deposuerit dictum debitum vel ydonee satisfecerit de dicto sequestro exhibendo, pro quo dictum testamentum fit¹⁾, vel rationem fecerit ipsi creditori prout casus existit et iuris ordo requirit, tunc ipsum commune vel ipsa comunia et homines postea non teneantur ad aliquod predictorum nec etiam de predictis. Et si creditor vel eius sufficiens missus presens fuerit collectioni huiusmodi fructuum, comunia burgorum penes que huiusmodi fructus contestati fuerint, possint capi, si debitum, pro quo contestati fuerint, fuerit sub pacto capiendi. Et hoc intelligatur in comunibus villarum, vbi recusaretur consignare et auxilium dare ad contestandos et colligendos huiusmodi fructus sequestratos. Et hoc statutum de cetero non habeat locum in fauorem alicuius debitoris comunitatis vallis Lugani proprio seu debitorio nomine nec in fauorem alicuius non substinentis onera

¹⁾ B und T fügen bei: prius declarato per ipsum debitorem, quid et quantum fuerit contestatum.

dicte comunitatis. Et quod quelibet persona, penes quam aliquid fuerit contestatum, exinde possit capi, et quod quilibet habitans continue in aliquo loco, burgo seu territorio dicti comitatus cum familia teneatur cum ipso comuni in quo stat.

XXXVII. De guarentamento fiendo per seruitorem.

Item statutum est, quod quilibet seruitor comunitatis comitatus Lugani et vallis ac ripperie quodlibet preceptum et preconizamentum quod ipse fecerit debeat et teneatur personaliter guarentare notario qui illud preceptum vel preconizamentum scripserit, se fecisse tali die dictum preceptum vel preconizamentum in tali burgo vel villa, determinando vtrum personaliter vel ad domum habitationis requisiti, et tunc ipse notarius teneatur et debeat scribere in fine dicti precepti et preconizamenti: postea vero die tali retulit guarentando talis seruitor se die tali in tali burgo vel villa fecisse hoc preceptum vel preconizamentum, prout predictus seruitor guarentando retulerit. Et predictum guarentamentum fieri et scribi debeat, antequam terminus precepti vel preconizamenti sit elapsus; saluo si notarius ille qui dictum preceptum vel preconizamentum scripserit, absens esset, tunc quando predictus seruitor predictum guarentamentum facere voluerit, liceat vni consocio illius qui predictum preceptum vel preconizamentum scripserit, predictum guarentamentum scribere modo supradicto. Et seruitor qui huiusmodi guarentamentum ad ipsum terminum non fecerit, soluat pro banno comunitati predicte soldos quadregenta terciolorum¹⁾ qualibet vice, et quilibet possit accusare, medietas cuius banni sit comunitatis predicte et alia sit accusatoris. Et preceptum vel preconizamentum siue ipsum guarentamentum non valeat nec teneat, et notarius qui ipsum guarentamentum scripserit, nichil possit accipere pro ipso guarentamento.

XXXVIII. Quod quilibet possit esse procurator sine satisdatione.

Item statutum est, quod quilibet possit esse procurator vnus alterius et alter alterius sine satisdatione aliqua inde fienda per illum qui fuerit procurator, dum per illum qui procuratorem constituerit promittatur de rato habendo et iudicato soluendo et in iudicio sisti sub obligatione bonorum eius tam in agendo quam in defendendo.

¹⁾ Ba: 40 kleine Crützer.

XXXVIII. De pluribus procuratoribus constituendis.

Item statutum est, quod quilibet possit constituere procuratorem vnum vel plures tam ad agendum quam ad defendendum, aliquo statuto in contrarium facto vel loquente non obstante.

XL. De procuratoribus non reuocandis.

Item statutum est, quod procuraciones et sindicatus seu constitutiones procuratorum et sindicorum ad obligandum seu condemnandum, vendendum et cedendum et ad solutionem recipiendum et fines et transactiones faciendum ad certum terminum de cetero fiant, et quod procuratores et syndici ad certum terminum facti non possint reuocari nec instrumenta procurarum et sindicatum **cassari** infra terminos in eis contentos, et procuratoria et sindicatus que aliter fierent non valeant. Saluo quod syndici et procuratores ante terminos in instrumentis contentos reuocari valeant in arengo comunitatis vallis Lugani et ripperie tantum, et talis reuocatio ita facta, de qua instrumentum appareat manu alicuius notarii banchi comunitatis factum, valeat et non aliter.

XLI. De exemplo tutele et cure dando etc.

Item statutum est, quod ille qui est procurator alterius, det exemplum ipsius procure suis expensis parti aduerse sub illo iudice sub quo agitur, et ille qui fuerit syndicus comunitatis, vniuersitatis vel collegii, et tutor et tutrix et curator et actor, det et dare debeat exemplum sindicatus, tutele, cure et actorie ad expensas petentis sub iudice sub quo agitur. Et si contingerit in eadem causa fieri alia instrumenta sindicatus vel tutele vel cure vel actorie et ex illis ageretur vel defenderetur, quod tunc ille qui producit ipsum instrumentum, exemplum dare debeat suis sumptibus parti aduerse, et ipsa exempla predictorum omnium instrumentorum data sub illis iudicibus, sub quibus agitur, et scripta per manum alicuius notariorum ipsius iudicis valeant tanquam autentica originalia in eadem causa.¹⁾

XLII. Quod nullus seruator possit esse procurator.

Item statutum est, quod nullus seruator comunitatis comitatus vallis Lugani et ripperie possit esse procurator ali-

¹⁾ B und T lassen hier den unten als Art. 286 beigefügten Zusatz folgen.

cuius persone dicte comunitatis, et capitaneus teneatur quam subtilius poterit super hiis inquirere, et si inuenerit aliquem seruitorem esse procuratorem, remoueat et remouere teneatur et debeat eum a seruitoria.

XLIII. Quod nullus possit esse seruator nisi habitet etc.

Item statutum est, quod nullus possit esse seruator comunitatis comitatus vallis Lugani et ripperie, nisi habitet cum familia sua quam habet in dicta comunitate et soluat fodra cum dicta comunitate. Et capitaneus teneatur quam subtilius poterit super hiis inquirere, et si inuenerit aliquem seruitorem qui non steterit seu stet vt supra dictum est, et exercere offitium seruitorie, condemnet eum in soldis quadregenta terciolorum qualibet vice publice in arengo et remouere teneatur ipsum ab offitio seruitorie, et postea precepta et ambiasiate et omnia alia quas et que fecerit ratione et occasione offitii seruitorie non valeant nec teneant; et quod capitaneus seu eius vicarius non possint dare parabulam alicui seruatori ipsa occasione, et si daretur vel data esset, non valeat.

XLIIII. De sacramento calomnie non prestando.

Item statutum est, quod amodo non debeat fieri calomnia scilicet sacramentum calomnie de aliqua causa.

XLV. Quod vicarius comunitatis non possit consulere.

Item statutum est, quod capitaneus seu eius vicarius comunitatis predicte non possint consilium dare de causa aliqua toto tempore sui officii et quod non possint placitare aliquam causam vel questionem vel consulere causas que sub eis ventilantur.

XLVI. De banno dato¹⁾ condemnato.

Item statutum est, quod si alicui iussum fuerit per sententiam vel condemnationem per eius confessionem infra decem dies vel viginti vel tregenta aut ad alium terminum vt aliquid soluat vel faciat, et non soluerit vel fecerit in termino statuto, detur ei bannum per condemnationem et non per requisitionem²⁾ in persona et rebus. Item quod non de-

¹⁾ Be und T: de termino dando. Ba: von dem zyl dem Bekenten zuo geben.

²⁾ Ba: soll er in Ungehorsamkeit gefallen syn, als wäre er darumb bekennt, und nit als wenn es von ihm darumb erfordert wäre.

beat dari condemnato nisi dilatio vna tantum octo dierum vtilium probandi et demonstrandi id totum quod probare et monstrare vult, dato et computato ei exemplo condemnationis in ipso termino, et postea mandetur executioni si non probauerit, preter si probare voluerit de falso, detur ei terminus vltra ipsam dilationem octo dierum vtilium ad probandum de ipsa falsitate, dum tamen ante dilationem iuret ipsam condemnationem esse falsam.

XLVII. De sacramento non referendo per condemnatum.

Item statutum est, quod de cetero aliquis condemnatus ex confessione non possit dare nec referre sacramentum seu iuramentum alicui creditori nisi prius deposuerit rem de qua esset questio.

XLVIII. De banno dando condemnato sine requisitione.

Item statutum est, quod possit dari bannum condemnato per condemnationes factas vnus anni sine requisitione facienda post dictam condemnationem amodo in antea, et quod exempla bannorum et scripta parabularum depredandi inde acceptarum et scriptarum valeant et eis creditores vti possint vnus anni spatio sine aliorum recuperatione exemplorum de nouo facienda. Et quod parabule depredandi nec accipiendi non valeant nec eis vti possint vltra annum vnum proximum, nisi de nouo recuperentur.

XLVIII. De parabula danda creditori contra condemnatum.

Item statutum est, quod si quis fuerit obligatus et condemnatus et preteritus in banno ad terminum condemnationis, detur creditori parabula robandi de bonis suis absque alia citatione fienda.

L. De non dando libellum a libris XX infra vsque ad X.

Item statutum est, quod si questio fuerit a libris viginti infra vsque ad decem¹⁾, non detur libellus et detur vna dilatio actori, si actor voluerit, ad ostendendum de credito et

¹⁾ vsque ad decem fehlt in B. T hat: a libris viginti terciol. et ab inde infra.

de alio quod ostendere vult octo dierum¹⁾, et post illam dilationem datam actori detur vna alia dilatio reo octo dierum¹⁾ probandi id totum quod probare et ostendere voluerit in ipsa causa²⁾. Possint tamen capitaneus et eius vicarius prorogare dictas dilationes si eis videbitur dierum sex, et datis hiis dilationibus actori et reo teneatur capitaneus seu eius vicarius infra tertium diem³⁾ si requisitus fuerit dare sententiam de causa illa super iuribus que ostendentur per aliquam partem tam in condemnando quam in absoluendo secundum iura ostensa.

LI. De dilationibus non remouendis.

Item statutum est, quod capitaneus seu eius vicarius non possint aliquas dilationes datas per precedentes capitaneum et vicarium remouere, sed teneantur stare omnibus dilationibus datis per antecedentes capitaneum et vicarium, ita quod procedant in causis et in sententiis computatis dilationibus datis tanquam si per ipsosmet capitaneum et vicarium date forent. Et quod nouus capitaneus et vicarius nouam dilationem dare non possit, si antea data est.

LII. De parabulanda post bannum.

Item statutum est, quod post bannum datum et preteritum prede vel captionis vetite dari debeat creditori vel habenti causam ab eo parabula et licentia intrandi in corporalem possessionem per fortiam bonorum et rerum immobilium illius vel illorum, cui vel quibus datum fuerit dictum bannum captionis seu prede vetite vsque ad illam quantitatem sortis et eius dispendiorum, pro qua datum fuerit ipsum bannum; que quidem parabula dari debeat per capitaneum seu eius vicarium comitatus vallis Lugani et ripperie, dum tamen de predictis creditis seu credito sit carta attestata seu condemnatio seu sententia, de quibus fides capitaneo seu eius vicario fiat danti parabulam predictam, et nichilominus alie parabule date post ipsum bannum depredandi vel capiendi per fortiam in suo robore persistant.

¹⁾ B und T: dierum sex vtilium. Ba: sächs Tage.

²⁾ Das folgende fehlt in B und T. Dafür steht dort: et possit capitaneus seu eius vicarius a decem libris infra (T: possint tamen cap. et eius vic. de decem libris et ab inde infra) cognoscere et determinare summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii sola veritate inspecta.

³⁾ Be: infra certum diem.

LIII. De non dando parabulam intrandi ex
forma contractus.

Item statutum est, quod per capitaneum vel eius vicarium comitatus vallis Lugani et ripperie non possit dari parabula ingrediendi in possessionem ex forma contractus contra debitorem nominatum in instrumento nec contra eius heredes, sed ipso debitore vel eius heredibus prius citatis possit dari parabula ingrediendi in possessionem bonorum que sunt dicti debitoris et eius heredum et erant tempore contractus et abinde citra, et omnis parabula que de cetero aliter dabitur sit nullius valoris et momenti.

LIIII. De sacramento deferendo in supplementum
probationis.

Item statutum est, quod capitaneus et eius vicarius possit deferre sacramentum reo vel actori secundum quod sibi videbitur, actore etiam in probatione deficiente, et hoc in vilibus causis tantum, et viles cause intelligantur decem librarum et a libris decem infra, et a libris decem supra vsque in viginti seruetur aliud statutum editum¹⁾, quod a libris viginti infra non detur libellus.²⁾

LV. De bonis forensium contestandis.

Item statutum est, quod bona cuiuslibet forensis non habitantis in iurisdictione dicte comunitatis possint et debeant contestari ad instantiam cuiuslibet persone habitantis et supposite dicte iurisdictioni habere debentis a dicto forense vsque ad quantitatem denariorum et rerum de quibus esset creditor dicti forensis, non obstante quod ipsum forensem non haberet in banno nec parabula, et hoc quolibet die feriato et non feriato, dummodo non sit in diebus interdictis propter mercatum Lugani; et quod dicta bona sequestrata debeant relaxari ipso forense satisdante cum bonis fideiusoribus de stando iuri et iudicato soluendo. Et quod dictus creditor, ad instantiam cuius dicta bona sequestrata fuerint, teneatur facere fidem de credito suo infra terminum quinque

¹⁾ S. cap. 50.

²⁾ B und T schalten hier folgendes Kapitel ein:

LVII. De iuramento deferendo a parte parti.

Item statutum est, quod in qualibet causa vsque ad sententiam exclusiue possit deferri iuramentum a parte parti, dummodo de credito, de quo vertitur questio, non sit instrumentum publicum, quo casu tunc seruetur statutum editum sub rubrica Nr. 49 (in Msc. A cap. 47).

dierum et plurium et pauciorum arbitrio capitanei vel eius vicarii inspecta qualitate facti et personarum.

LVI. De satisfactione prestanda per forenses.

Item statutum est, quod aliqua persona foritanea seu forensis, vniuersitas, comune et collegium foritaneum seu forense, que in causa seu questione fuerit cum aliqua persona, comuni vel collegio vel vniuersitate comunitatis vallis Lugani et ripperie de aliqua pecunia vel alia re mobili vel immobili vel aliquibus iuribus in agendo vel defendendo, non audiatur nec audiri debeat aliquo modo per capitaneum seu eius vicarium dicte comunitatis, coram quibus seu quo ipsa questio fuerit, nisi prius illa persona foritanea vel forensis seu vniuersitas, comune vel collegium forense fecerit ydoneam securitatem cum bonis et ydoneis fideiussoribus dicte comunitatis sub pacto capiendi et detinendi in manu illius vel illorum, cum quo vel quibus fuerit in causa vel questione agendo vel defendendo, de soluendo sortem cum damnis et interesse et etiam de soluendo expensas, que in causa vel in causis factis vel que fierent paterentur¹⁾, si illa persona vel vniuersitas, collegium vel comune condemnaretur exinde. Et hoc iuxta formam condemnationis seu sententie. Et predicta locum habeant tam in questionibus pendentibus quam futuris. Et quod si quis opposuerit vel allegauerit in contrarium, condemnatur in libris viginti quinque terciolorum qualibet vice. Et quod foritaneae persone sint ille que non sunt subiectioni capitanei²⁾ comunitatis predictae.

LVII. Quod bannum datum habeatur pro legitima excussione.

Item statutum est, quod si quis voluerit excutere seu excussione facere contra bona alicuius debitoris tam viui quam mortui, citato ipso viuo personaliter vel domi eius habitationis et dato banno seu precepto firmato ad terminum in eo positum, intelligatur et sit excussio legitime facta. Et si contingerit excussione fieri contra bona defuncti facto ad instantiam petentis preconizamento domi solite habitationis et vbi decessit ille defunctus vel ad portam domus regiminis predictae comunitatis, si decessit extra iurisdictionem dicte comunitatis, citando et monendo omnes filios et filias, fratres et sorores dicti defuncti et alios quoscunque qui sua

¹⁾ B: tolerarentur.

²⁾ B: subiecte capitaneo. Be: subiecte iurisdictioni capitanei.

putauerint interesse, si est aliquis volens esse heres dicti defuncti, et firmato dicto preconizamento ad terminum in eo positum intelligatur et sit excussio legitima facta vt supra, non obstante aliqua lege in contrarium disponente.

LVIII. De modo et termino respondendi interrogationibus.

Item statutum est, quod in causis in quibus fiunt et dantur interrogationes seu protestationes et dantur libelli, quod semper interrogationes seu protestationes precedant libelli dationem. Et quod quilibet teneatur respondere clare et aperte interrogationibus datis ad terminum statutum, aliter si non responderit, detur actori parabula intrandi in possessionem bonorum contentorum in dictis interrogationibus in preiudicium illius contra quem date fuerint dicte interrogationes; qui terminus respondendi dictis interrogationibus statuatur quinque dierum a die datarum interrogationum in antea computandarum, et si vltima dies dicti termini non est dies iuridica, possit et debeat respondere die prima iuridica proxime sequenti.

LVIII. Quod nominans (Be u. T: dominum in iudicio) teneatur facere comparere nominatum.

Item statutum est, quod si quis responderit interrogationibus datis et nominauerit aliquem in iudicio pro domino alicuius rei, teneatur et debeat facere comparere nominatum ad recipiendum in se dictam nominationem infra quinque dies, si nominatus fuerit suppositus iurisdictioni dicte comunitatis. Et si nominatus fuerit suppositus alteri iurisdictioni, tunc detur terminus arbitrio capitanei vel eius vicarii secundum distantiam loci in quo habitaret nominatus; aliter si non comparauerit nominatus, detur parabula intrandi possessionem illius rei in preiudicium nominantis.

LX. Quod ille qui protestatus fuerit se tenere non possit alium nominare.

Item statutum est, quod si aliquis receperit nominationem alicuius rei in iudicio et protestatus fuerit se tenere et possidere, quod vltius non possit alium pro domino nominare, sed teneatur stare ad causam vsque ad sententiam, et rem de qua agitur restituere petenti, si subcubuerit in dicta causa, et non recipiatur nominatus, nisi primo dixerit se tenere et possidere res petitas et de eis in causa velle stare.

LXI. De satisfactione prestanda per eum qui dixerit se possidere.

Item statutum est, quod si aliqua persona, comune, collegium vel vniuersitas, que protestata fuerit se possidere vel defendere velle aliquam domum vel terram vel decimam vel ius aliquod, que vel quod petatur per aliquem, teneatur et debeat facere bonam et ydoneam satisfactionem cum bonis fideiussoribus pro qualitate et quantitate rei que petitur, sub pacto capiendi tam debitores quam fideiussores, que securitas debeat esse de stando in iudicio et de non baratando et non alienando illam rem que petitur, et de restituendo eam, si inde conuictus vel condemnatus fuerit per illum iudicem, coram quo est dicta questio. Saluo et exceptato quod illa satisfactio non debeat prestari, si ille qui conuenitur iurare velit corporaliter ad sancta Dei euangelia, se fideiussorem dare non posse, vel si protestatus fuerit, se velle et paratum esse quod in ipsa causa procedatur et cognoscatur summarie, in quibus casibus ipsa satisfactio prestari non debet, sed ipse solummodo teneatur se et sua bona obligare sub pacto capiendi sub predicta forma. Et quod statim vel infra tertiam diem, ex quo protestatus fuerit se tenere et possidere in iudicio, quod facere teneatur securitatem modo et forma qui in hoc continentur statuto.

LXII. Quod forensis nominatus pro domino non audiatur, nisi prius fecerit fidem.

Item statutum est, quod si aliquis, qui modo non sit subditus iurisdictioni comunitatis vallis Lugani et ripperie, nominatus fuerit in iudicio dominus de aliqua re per aliquam personam vel vniuersitatem vel vltro se offerat defensionem alicuius rei site in iurisdictione dicte comunitatis vel dicatur et protestetur se tenere et possidere illam rem, non audiatur nec admittatur, nisi de possessione illius rei primo fecerit fidem capitaneo vel eius vicario dicte comunitatis, coram quo questio tunc erit, per instrumenta, publica facta per biennium ante ipsam nominationem et in possessione steterit per ipsum biennium ante ipsam nominationem, iurando per se personaliter vel¹⁾ per submissam personam corporaliter ad sancta Dei euangelia coram capitaneo vel eius vicario predicta omnia instrumenta per se vel per alium eius nomine ipsa occasione vera et non fictitia nec simulata esse, et quod in fraudem alicuius ipsam nominationem non cepit nec se offert

¹⁾ Be, B und T: et non.

defensioni nec etiam ipsam protestationem in fraudem alicuius facit predictae rei. Et si quis predicta omnia facere noluerit, actor ad predictam rei possessionem et in possessione mittatur et manuteneatur non obstante eius contradictione.

LXIII. De termino deliberandi si quis velit esse heres.

Item statutum est, si aliquis filius alicuius defuncti conueniatur aliqua de causa et venerit sub¹⁾ capitaneo vel eius vicario et postulauerit terminum deliberandi, si velit esse heres patris vel alterius persone an ne, non detur dilatio deliberandi ei, si ille de cuius hereditate postulatur defunctus fuerit ab anno vno proxime supra; nisi forte in minoribus, quibus detur terminus deliberandi octo dierum tantum. Et si ab anno vno citra defunctus fuerit, detur terminus vnus tantum deliberandi et petenti decem dierum tantum, si fuerit maior annis vigintiquinque, et si minor, quindecim dierum tantum.

LXIII. De cessione non fienda post litem contestatam.

Item statutum est, quod nulla persona comunitatis vallis Lugani et ripperie possit cedere alicui persone seu aliquam cessionem facere nec sibi facere fieri de aliqua causa seu questione que sit incepta post litem contestationem, nisi sententia fuerit lata et diffinita et appellatione non suspensa, et nisi fuerit fideiussor vel debitor, vel nisi ipsa cessio fieret de voluntate debitoris. Et si aliter facta fuerit, ipsa cessio non valeat nec teneat.

LXV. Quod dies termini non computetur in termino.

Item statutum est, quod dies scriptus seu appositus in preceptis, preconizamentis, guarentamentis vel terminis vel aliquibus aliis processibus vel scripturis preteritis et futuris non computetur in termino ipsius processus vel scripture, nisi aliter terminatum fuerit in ipsis processibus et scripturis.

LXVI. Initium statutorum super ciuilibus causis.

Item statutum est et ordinatum, quod omnes et singule lites, questiones, cause et controuersie ciuiles seu que ciuilitate agitentur et de cetero moueri contingerit coram capitaneo comitatus vallis Lugani et ripperie vel eius vicario vel locumtenente per et inter quascunque personas, comunia, collegia

¹⁾ B: coram.

vel vniuersitates vel inter aliquam singularem personam et comunitatem vel vniuersitatem quouis modo et ex quauis causa, cognoscantur, dicidantur et fine debito terminentur cauillationibus et friuolis exceptionibus reiectis quibuscunque per dominum capitaneum vel eius vicarium vel locumtenentem, coram quo ipsa lis, questio, causa vel controuersia mota fuerit, et hoc infra terminos inferius limitatos et declaratos, sub pena capitaneo vel vicario vel locumtenenti coram quo ipsa lis, questio, causa vel controuersia agitabitur, omittenti ipsam litem, questionem, causam seu controuersiam terminare infra terminos inferius limitatos, et similiter cuilibet confidenti vallis Lugani et ripperie omittenti terminare et dicidere questionem sibi commissam infra terminos inferius limitatos librarum quinquaginta terciolorum applicandarum camere Magnificorum dominorum nostrorum dominorum comitum de Ruschonibus¹⁾, et reficiendi expensas litis vtrique parti, qui termini cognoscendi et terminandi ipsas lites, questiones, causas et controuersias et in eis procedendi hoc ordine limitentur et limitati esse intelligantur.

LXVII. De termino instantie cause principalis.

Videlicet instantia cause principalis non duret nec durare possit nec debeat vltra tempus et spatium quadrigintaduorum dierum vtilium a die litis incepte computandorum, que incepta esse intelligatur petitione porrecta et in actis dimissa et parti legitime notificata, vbi per viam libelli vel petitionis proceditur. Qui libellus vel petitio, qualiscunque sit dummodo tolerabilis, admittatur et admissa esse intelligatur ipso iure, et tolerabilis esse intelligatur, si contineat personam actoris et rei quantitatem, rem seu ius que petuntur et causam petitionis, et a die comparitionis seu contradictionis, oppositionis seu querele notificate parti, vbi per viam contradictionis, comparitionis, oppositionis seu querele proceditur.

LXVIII. De termino instantie cause appellationis.

Instantia vero cause appellationis interponende tantum per vtramque partem non duret nec durare possit nec debeat videlicet prima causa appellationis vltra tempus et spatium vigintiquatuor dierum vtilium, secunda vero causa appellationis non duret nec durare possit vltra tempus et spatium vigintiquatuor dierum vtilium, ita quod omnibus computatis

¹⁾ B u. T: camere predicti domini Aloysii de sancto Seuerino dicte vallis domino.

videlicet tam temporibus instantie cause principalis quam vtriusque cause appellationis, terminus nonaginta dierum vtilium saluis temporibus deputatis ad appellandum nullatenus excedatur nec excedi possit nec etiam dilatari seu prorogari quoquo modo sub pena predicta.

LXVIII. De termino respondendi libello.

Vtque termini deliberandi et respondendi petitioni et probandi et reprobandi et alia faciendi in litibus, questionibus, causis et controuersiis antedictis diuidantur et ordine congruo limitentur, et ne productiones iurium et probationes cautelose vsque prope finem litis differantur, ordinatum est et statutum, quod statim petitione porrecta et in actis dimissa in causa principali et parti notificata vt supra, statutus sit et esse intelligatur ipso iure terminus vnus diey vtilis immediate sequentis reo deliberandi et respondendi dicte petitioni, quo termino elapso, siue responderit siue non, habeatur lis pro contestata.

LXX. De termino statuto vtrique parti ad probandum.

Et elapso dicto termino vnus diei vtilis vel contradictione facta et parti notificata vbi per viam comparitionis, contradictionis vel querele proceditur, statim statutus sit et esse intelligatur vtrique parti videlicet actori et reo terminus quindicim dierum vtilium excipiendi, opponendi et probandi per omne genus probationum, ac producendi et ostendendi quicquid dicte partes et quelibet earum voluerit in dicta causa. Ipsoque termino elapso statim quecunque agitata, producta et ostensa in dicto termino probationis intelligantur et sint ipso iure publicata, ita quod de eis fiat copia, si fuerit requisita. Et quod quibuscunque positionibus, que fieri contingerint in quacunque causa, teneatur pars respondere infra terminum sibi per capitaneum vel eius vicarium vel locumtenentem assignandum clare et aperte, affirmando vel negando, de scientia vel credulitate, sine conditione, additione vel protestatione, alioquin responsio aliter facta pro non facta habeatur.

LXXI. De termino dato ad reprobandum.

Et immediate post ipsum terminum statutus sit et esse intelligatur vtrique parti terminus dierum decem¹⁾ vtilium reprobandi et impugnandi quecunque producta, probata et

¹⁾ Be: quindicim dierum.

ostensa in dicto termino probatorio, et si aliqua partium in ipso termino reprobatorio produxerit articulos vel capitula tendentia ad reprobandum probata et producta per alteram partem in primo termino probatorio, tunc liceat illi parti contra quam producta fuerint et cuilibet alteri cuius intersit coadiuuare et corroborare per legitimas probationes probata et producta in dicto primo termino. Quo termino reprobatorio elapso, quecumque agitata, producta et ostensa in ipso termino intelligantur et sint ipso iure publicata et de ipsis fiat copia vt supra.

LXXII. Quod exceptiones sint salue vsque in finem.

Item quod omnes exceptiones, replicationes et triplicationes dilatorie, declinatorie, peremptorie et cetere, cuiuscunque generis sint, de quibus non sit cognitum et dicissum inter partes, sint salue vtrique parti in fine litis et tempore disputationis, ne ob hoc processus cause differatur. Que quidem exceptiones dilatorie et declinatorie et similes reiecte intelligantur, si de ipsis in sententia vel pronuntiatione ferenda super causa principali non fuerit facta mentio.

LXXIII. De termino committendi questionem.

Deinde capitaneus vel eius vicarius vel eorum vel alterius eorum locumtenens teneatur et debeat infra duos dies vtilis immediate sequentes post dictum terminum reprobatorium ad requisitionem dictarum partium vel alterius earum committere ipsam litem, questionem, causam seu controuersiam vni iurisperito de confidentibus vtriusque partis eligendo, siue fuerit de collegio siue non, et si aliqua pars recusaret vel contumax esset in dando confidentes suos et tot quod vnus concordetur, tunc dictus capitaneus vel eius vicarius vel locumtenens committere debeat dictam litem, causam, questionem seu controuersiam vni ex confidentibus partis producentis et non contumacis. Sintque confidentes dandi residentes in iurisdictione predicta, si in ea erit copia iurisperitorum, et si non, tunc dentur de aliis residentibus in ciuitate Cumarum. Et si in ciuitate Cumarum non erit copia iurisperitorum, tunc dentur de aliis residentibus in vno ex locis proximioribus comitatu vallis Lugani, quorum possit vnum suspectum dare vtraque pars in quolibet loco. Et teneantur partes seu altera earum, que suspectum dare voluerint, iurare ad sancta Dei euangelia ipsum habere suspectum. Et predicta commissio fiat et locum habeat, si lis, causa, questio seu controuersia est vel erit a libris centum terciolorum supra. Teneanturque

partes vel altera earum de dicta commissione facta notitiam facere dicto commissario infra tres dies post ipsam commissionem factam et ab eo scire, vtrum velit ipsam commissionem accipere vel ne. Quam si acceptare voluerit, iuret ille commissarius ad sancta Dei euangelia ipsam litem, causam, questionem seu controuersiam recte secundum ius et secundum producta et probata bona fide sine fraude secundum commissionem sibi factam infra terminum dictionum dierum quadregentaduorum vtilium consulere, dicidere et terminare clare et aperte sine vlla conditione vel alternatione, et in ipsis consiliis et sententiis declarare et taxare expensas litis, damna et interesse in casibus, in quibus partes seu altera earum venerint¹⁾ de iure condemnande; et de predictis notificatione, responsione et sacramento fieri facere publicum instrumentum, vel quod predicta omnia in actis dicte cause ordinate scribantur.²⁾ Et in casu quo dictus commissarius acceptare non vellet dictam commissionem, quod similiter inde faciant fieri dicte partes vel altera earum de repudiatione dicte commissionis publicum instrumentum, quod ipse partes vel altera earum presentare teneantur in publicam formam coram domino capitaneo vel eius vicario vel locumtenente infra quatuor dies post commissionem vt supra factam, quo casu nullum partibus intelligatur esse cursum tempus, sed dicta lis, causa, questio seu controuersia sit in eodem statu et gradu quo erat tempore commissionis et ante ipsam commissionem. Et tunc ipse capitaneus, vicarius vel locumtenens teneatur ad instantiam dictarum partium vel alterius earum ipsam litem, causam, questionem seu controuersiam statim citatis partibus de nouo committere vni alii confidenti partium dando in scriptis modo et forma suprascriptis. Et quod dictum est de primo commissario, idem seruetur in secundo et tertio, donec lis, questio, causa seu controuersia decisa, consulta et determinata fuerit vt supra. Et nec possit nec debeat dari aliquis socius dicto commissario ad examinandum dictam questionem nec ad consulendum super ea, nisi fuerit de ambarum partium voluntate.

LXXIIII. De questione librarum C et abinde infra committenda.

Si vero de libris centum vel a libris centum terciolorum infra est vel erit ipsa lis, causa, questio seu controuersia,

¹⁾ Be: venirent.

²⁾ Be fügt bei: sub pena florenorum centum auri camere ducali applicandorum.

quod tunc et eo casu capitaneus vel eius vicarius vel locumtenens infra duos dies vtilis immediate sequentes post dictum terminum reprobatorium ad requisitionem dictarum partium vel alterius earum teneatur committere ipsam litem, questionem, causam seu controuersiam duobus amicis dictarum partium per ipsas partes eligendis, videlicet vni pro parte, residentibus in dicta iurisdictione, et vni confidenti de numero confidentium comitatus vallis Lugani dando in scriptis per ipsas partes, et tot quod vnus concordetur, qui confidens sit pro tertio cum suprascriptis duobus amicis. Quibus amicis et confidente citatis teneantur ipsi amici et confidens vel saltem duo ex eis ipsa die qua citati fuerint occasione dicte commissionis ad instantiam dictarum partium vel alterius earum ipsam commissionem acceptare et decidere¹⁾ et terminare bona fide sine fraude, prout in sacramento precedentis capituli continetur, infra dictum terminum quadregentaduorum dierum vtilium sub pena librarum quinquaginta terciolorum pro quolibet ipsorum. Et pro qua questione, lite, causa seu controuersia per eos decidenda et terminanda vt supra possit quilibet ipsorum trium habere a dictis partibus ad computum imperiale quatuor pro qualibet libra quod²⁾ ascendit dicta questio, et non vltra. Et hoc intelligatur inter vtramque partem, nec super ipsa possint petere consilium ab aliquo iurisperito nisi suis expensis tantum, vel nisi fuerit de voluntate ambarum partium. Et si aliqua partium recusaret dare seu contumax esset ad dandum confidentes suos, quod tunc capitaneus vel eius vicarius vel locumtenens teneatur ipsam causam, questionem, litem seu controuersiam committere vni ex confidentibus partis producentis non contumacis, qui ipsam acceptare ac iurare et decidere teneatur infra dictum terminum quadregintaduorum dierum vtilium sub pena predicta.

LXXV. De termino producendi actitata
coram commissario.

Postea vero dicte partes statim compareant coram domino commissario seu amicis et confidente et producant coram eis processus et omnia acta agitata et producta in lite et causa predicta infra talem terminum, quod dicto commissario seu amicis et confidenti post productionem ipsorum restent ad minus dies octo vtilis ad deliberandum, consulendum et terminandum super dicta causa, sub pena librarum decem.

¹⁾ Be: iurare decidere.

²⁾ Be, B und T: eius quod.

terciolorum parti omittenti producere vt supra, et plus et minus arbitrio domini capitanei seu eius vicarii vel locumtenentis.

LXXVI. De presentatione consilii fienda.

Quibus visis et diligenter examinatis per dictum commissarium seu dictos amicos et confidentem et auditis allegationibus et rationibus que coram eo vel eis fieri voluerint per partes vel earum aduocatos, teneatur et debeat dictus commissarius presentare vel presentari facere suum consilium in scriptis eius manu propria subscriptum super questione sibi commissa ad banchum domini capitanei vel eius vicarii vel locumtenentis vt supra, coram quo questio predicta vertetur, ante finem dicti termini dierum quadregintaduorum vtilium, de qua presentatione fiat suprascriptio dicto consilio manu notarii cause, per quem et qua die presentatum fuerit.¹⁾ Amici vero et confidens quibus commissa fuerit questio teneantur et debeant sententiare et diffinire dictam causam infra dictum terminum quadregintaduorum dierum vtilium ac dicissionem, sententiam et terminationem cause sibi commisse scribi facere per notarium dicte cause manu ipsius notarii subscriptam et authenticatam, et ante finem dicti termini sub pena predicta.

LXXVII. De questione terminanda per capitaneum si fuerit de voluntate partium.

Possit tamen dominus capitaneus et eius vicarius vel locumtenens dictam questionem cognoscere, dicidere et terminare infra dictum terminum per se tantum et absque alio²⁾ commissario vel amicis vel confidente eligendo seu eligendis, si fuerit de partium voluntate. Quo casu iurare teneatur ipsam questionem cognoscere, decidere et terminare bona fide sine fraude, nec exinde possit aliquod salarium a partibus recipere pro dicta questione decidenda et terminanda.

LXXVIII. De terminato ad appellandum.

Lata vero dicta diffinitiuia sententia vel facta dicta terminatione vel diffinitione possit pars que subcubuerit et quilibet alius cui de iure liceat appellare vel nullam dicere, infra terminum octo dierum continuorum a die late sententie et non vltra ab ipsa sententia vel diffinitione seu terminatione

¹⁾ Be fügt bei: sub pena predicta.

²⁾ Be: aliquo.

appellare vel nullam dicere ad prefatum dominum capitaneum vel eius locumtenentem et eius sedem et curiam, salvo tamen quod in causis et casibus specialibus, in quibus prohibita sit appellatio vel nullitas a iure comuni vel ex forma statutorum, et etiam ab interlocutoriis non liceat appellare, et idem disponatur de nullitate. Que quidem appellatio seu nullitatis interpositio fiat per publicum instrumentum, et teneatur appellans vel nullam dicens iurare coram ipso capitaneo seu eius locumtenente, se non dolo nec calomnia, sed iustam credens fouere causam appellasse vel nullam dixisse, ac satisfacere¹⁾ de restituendo alteri parti omnia damna et interesse et expensas litis predictae que passa fuerit et que taxata fuerint per iudicem seu amicos et confidentem, cui commissa fuerit ipsa questio, si ipse appellans vel nullam dicens subcubuerit in dicta causa appellationis vel nullitatis, vel si ipsam appellationem vel nullitatem non fuerit prosecutus, et hoc infra annum a die interposite appellationis vel nullitatis in antea computandum, alioquin ipsi appellationi renuntiasse intelligatur et prima sententia firma maneat et executioni mandetur.

LXXVIII. Quid teneatur facere appellans.

Qua appellatione vel nullitate interposita procedatur in ipsa causa appellationis vel nullitatis coram ipso domino capitaneo vel eius locumtenente hoc ordine, videlicet quod appellans vel nullam dicens teneatur coram ipso domino capitaneo vel eius locumtenente petitionem suam in scriptis porrigere et parti notificare personaliter vel ad domum, et hoc infra terminum vnus anni a die appellationis interposite computandum, et in ipsa causa appellationis procedatur iure ordinario. Que petitio qualiscunque sit, dum modo tolerabilis sit, admittatur et admissa esse intelligatur ipso iure, et nulla litis contestatio exigatur. Teneatur etiam ipse appellans vel nullam dicens infra terminum dierum quinque vtilium postquam requisitus fuerit ad instantiam partis aduerse petitionem suam in scriptis porrigere et parti notificare, et admissa sit vt supra proxime, alioquin ipsi appellationi renuntiasse intelligatur et prima sententia firma maneat et executioni mandetur.

LXXX. De termino probandi in causa appellationis.

Qua petitione porrecta et parti notificata vt in precedenti capitulo continetur, statim et sine vllo interuallo sta-

¹⁾ B und T: satisfacere cum bonis fideiussoribus.

tutus sit et esse intelligatur terminus dierum octo vtilium probandi, producendi et ostendendi vtrique parti, et vtraque pars possit probare, producere et ostendere quicquid probare et ostendere voluerit per omne genus probationum intra dictum terminum dierum octo vtilium, quo quidem termino elapso quecumque producta, probata et ostensa fuerint, sint ipso iure publicata et aperta et pro publicatis et apertis habeantur, ita quod de ipsis fiat copia vtrique parti eam habere volenti.

LXXXI. De termino statuto ad reprobandum.

Post que statim et sine interuallo statutus sit et esse intelligatur ipso iure vtrique parti terminus dierum sex vtilium reprobandi et impugnandi et excludendi quecumque agitata, producta et ostensa in dicto primo termino fuerint, et si aliqua partium in ipso termino reprobatorio produxerit articulos vel capitula tendentia ad reprobandum probata et producta per alteram partem in primo termino probatorio, que capitula et articuli produci debeant per tres dies vtilis ante finem predicti termini reprobatorii parte presente vel legitime ad hoc citata et sibi de ipsis capitulis seu articulis copia dimissa personaliter vel ad domum, et post produci non possint nec admitti, tunc liceat illi parti contra quam producta fuerint et cuilibet alteri cuius intersit coadiuuare et corroborare per legitimas probationes probata et producta in dicto primo termino. Quo termino reprobatorio elapso que libet agitata, producta, probata et ostensa in dicto termino intelligantur et sint ipso iure publicata et de eis fiat copia vt supra. Et quod omnes exceptiones sint salue in fine¹⁾ et reiecte intelligantur, et cetera prout supra in ordine principalis cause superius continetur.

LXXXII. De commissione fienda in causa
a p p e l l a t i o n i s.

Postea vero prefatus dominus capitaneus vel eius vicarius vel locumtenens teneatur infra diem vnam vtilem post terminum reprobatorium immediate sequentem ad requisitionem dictarum partium seu alterius earum dictam causam appellationis vel nullitatis committere vni iurisperito de confidentibus partium eligendo, et cetera prout in ordine principalis cause continetur, et qui commissarius non fuerit aduocatus nec commissarius in causa super qua lata fuerit sen-

¹⁾ Be: in fine litis.

tentia a qua fuerit appellatum, nec qui sit agnatus vel affinis partis appellantis.

LXXXIII. De presentatione repudiationis facte per commissarium.

Qui commissarius ipsam causam¹⁾ cogatur omnibus iuris remediis acceptare et iurare prout in ordine principalis cause continetur. Quam si acceptare recusauerit, teneatur appellans presentare ad bancum dicti domini capitanei instrumentum publicum de dicta repudiatione ipsius commissionis infra quatuor dies post commissionem immediate sequentes, et cetera prout in ordine principalis cause reperiatur contineri mutatis mutandis, nec possit associari nec alius vltra commissarium electum assumi vlllo modo, nisi fuerit de ambarum partium voluntate; coram quo commissario ambe partes compareant et producant processus et omnia acta dicte cause appellationis vel nullitatis et iura sua. Qui commissarius visis et diligenter examinatis predictis et partium allegationibus auditis teneatur et debeat presentari facere consilium suum in scriptis eius propria manu subscriptum ad banchum suprascripti domini capitanei ante finem dicti termini dierum vigentiquatuor vtilium ipsi cause limitati. De qua presentatione fiat subscriptio dicto consilio manu notarii cause, per quem et qua die presentatum fuerit. Et idem fiat in actis dicte cause, ita quod dictus dominus capitaneus vel eius vicarius vel locumtenens possit, teneatur et debeat in dicto termino iuxta formam dicti consilii suam diffinitiuam sententiam proferre et publicare super causa predicta, que presentatio et publicatio facta esse intelligatur ipso iure, si ipse capitaneus vel locumtenens omiserit proferre et publicare vt supra.

LXXXIIII. Quod capitaneus possit dicide causam appellationis.

Possit tamen dictus capitaneus vel eius vicarius, si fuerit de ambarum partium voluntate, ipsam causam per se tantum absque aliquo commissario eligendo cognoscere, decidere et terminare intra terminum antedictum, qui eo casu iurare teneatur prout supra in sacramento commissarii continetur mutatis mutandis.

LXXXV. De appellationibus committendis super sententiis latis per amicos.

Et idem prout supra continetur seruetur in omnibus et per omnia in appellationibus interpositis et de cetero inter-

¹⁾ Be, B und T: commissionem.

ponendis a sententiis latis per amicos comunes eligendos etc. et prout in ordine principalis cause librarum centum et a libris centum infra vsque ad viginti continetur. Et dictus dominus capitaneus vel eius locumtenens committere dictam appellationem teneatur infra diem vnam vtilem immediate sequentem post dictum terminum reprobatorium duobus amicis per partes eligendis et vni confidenti reperto in numero confidentium in scriptis datorum per partes ex confidentibus dicti comitatus. Qui commissarii cogantur acceptare et iurare prout in ordine commissionis cause principalis continetur. Possint tamen et teneantur dicti commissarii decidere, cognoscere et terminare infra dictum terminum dierum viginti-quatuor vtilium sub pena in ordine principalis cause apposita.

LXXXVI. De non se appellando a sententia confirmata.

Postquam vero lata fuerit dicta sententia in dicta causa appellationis vel nullitatis, in quantum et quatenus confirmata fuerit prima sententia lata in causa principali, non liceat amplius prouocare nec appellare a dicta sententia nec nulla dici nec eidem aliquo modo contrairi nec contra eam quicquam excipi vel opponi, sed prout lata fuerit executioni mandetur omnibus iuris remediis.

LXXXVII. De termino et modo se appellandi a sententia lata in causa appellationis.

Si vero per ipsam sententiam latam in dicta causa appellationis vel nullitatis fuerit dicta prima sententia annullata vel reuocata aut aliter reformata particulariter vel in totum, tunc liceat succumbenti in dicta causa appellationis vel nullitatis et cuilibet alteri cui de iure liceat appellare vel nullam dicere, infra terminum octo dierum continuorum a die late sententie et non vltra a dicta tali sententia appellare vel nullam dicere ad dictum dominum capitaneum vel eius locumtenentem et ad eius sedem et curiam, et cetera prout in prima causa appellationis est expressum. In qua causa appellationis procedatur et intelligantur esse termini limitati in omnibus et per omnia prout in prima causa appellationis superius est expressum mutatis mutandis et congrua congruis referendo. Ita tamen hoc semper intellecto quod dicta causa secunde appellationis infra restum dicti termini dierum nonaginta vtilium omnibus instantiis tam principalis cause quam appellationum limitati vt supra saluis temporibus limitatis¹⁾

¹⁾ Be: deputatis.

ad appellandum vigore presentis statuti decidatur et fine debito terminetur nec dictum terminum excedat vlllo modo sub pena predicta vt supra. Que sententia omnibus iuris remediis prout lata fuerit executioni mandetur. Idem seruetur in questionibus appellationum predictarum prout supra in causa prime appellationis est dispositum. Et hoc in questionibus de libris centum et ab inde infra vsque ad libras viginti terciolorum.

LXXXVIII. De statuto super ciuilibus seruando.

Item statutum est, quod presens statutum factum super ordine causarum ciuilium et contenta in eo locum habeat et debeat seruari in quibuscunque questionibus et causis pendentibus et in ceteris de cetero inchoandis, firmis tamen manentibus agitatis et productis in dictis causis pendentibus.

LXXXVIII. Quod statutum super ciuilibus non seruetur in causis datiorum.

Quodque, nisi fuerit de partium voluntate, ordo presentis statuti et disposita in eo non vindicent sibi locum in questionibus datiorum, sed in eis pacta et data datiorum necnon statuta super ipsis edita inuolabiliter obseruentur, nec etiam in causis, questionibus seu controuersiis motis vel mouendis occasione exclamationum que fiunt pro bonis vendendis ad cridas vel accipiendis in solutum, sed in eis seruentur statuta, prouisiones et ordines super hiis specialiter edita et termini statuti in eis, nec etiam in causis in quibus procedi potest breuiori via quam via presentis statuti, temporibus appellationum minime computatis; nec etiam in compromissis factis vel fiendis in amicos comunes de partium voluntate.

LXXX. De citationibus fiendis contra absentes.

Item statutum est, quod si de cetero contingat aliquam litem, questionem, causam seu controuersiam moueri contra absentem in longinquis partibus vel extra territorium comunitatis vallis Lugani et ripperie, capitaneus et quilibet iudicis teneatur dare et assignare tali absenti vt supra citato vel citando, facta prius fide summatim, prout capitaneo et iudicenti videbitur, de tali absentia, terminum competentem ad comparandum per se vel per legitimum procuratorem, videlicet singulos dies pro singulis viginti miliaribus pro eundo et totidem pro redeundo et vltra arbitrio predicti domini capitanei vel iudicentis, dummodo arbitrium capitanei vel iudicentis non excedat terminum vnus mensis continui. Quo

termino elapso et non ante incipiant currere tempora antecedentis statuti.

LXXXXI. De testibus absentibus citandis.

Item statutum est, quod si aliqua partium voluerit producere in causa aliquos absentes testes vel instrumenta que essent extra territorium iurisdictionis predictae comunitatis, tunc nominatis prius dictis testibus et instrumentis, quibus semel nominatis nichil addi possit, et facta fide summam de huiusmodi absentia et carentia instrumentorum extra iurisdictionem existentium capitaneo vel iudici litis prout videbitur,¹⁾ et parte iurante ad sancta Dei euangelia corporaliter tactis scripturis, quod hoc non facit nec fieri petit dolo nec calomnia nec in fraudem nec animo protelandi litem, sed putans ipsis instrumentis et testibus indigere ad probationem iuris sui, et eo casu assignetur sibi per capitaneum vel litis iudicem terminus competens secundum distantiam locorum et negotii qualitatem, infra quem dicti testes recipi et examinari possint debita forma iuris eorumque dicta capitaneo vel iudici solemniter presentari et ipsa instrumenta produci, et in eo termino assignando ut supra possit etiam altera pars hostendere et probare de iure suo quicquid voluerit; quo termino pendente non currant tempora presentis statuti precedentia, nisi termini statuti ad probandum quo ad testes et alias probationes.

LXXXXII. De responsionibus fiendis positionibus.

Item statutum est, quod quilibet teneatur respondere positionibus productis in aliqua causa civili clare et aperte affirmando vel negando ad terminum statutum per dominum capitaneum seu eius vicarium, aliter responsio facta pro non facta habeatur, et dicte positiones quibus non fuerit responsum vel minus sufficienter et legitime responsum fuerit, pronuntientur et pronuntiari debeant ac habeantur ipso iure pro confessatis. Saluo quod non debeant negari positiones de filiatione nec de morte alicuius. Et si negate fuerint vel aliter responsio facta fuerit, ex quo videantur negate, condemnetur respondens dictis positionibus et negans in libris vigintiquinque terciolorum, si questio fuerit de libris centum terc. et ab inde infra; et si questio fuerit de libris centum supra, condemnetur in libris quinquaginta terciolorum, dum tamen dictus defunctus decesserit aut probetur de voce et fama decessisse in iurisdictione vallis Lugani aut episcopatu Cumarum.

¹⁾ Be, B und T: sibi videbitur.

LXXXVIII. Quod per vocem et famam probetur
mors et filiatio.

Item statutum est, quod si in aliqua causa ciuili que de cetero moueri contingerit necesse fuerit probare filiationem vel mortem alicuius, quod sufficiat probari de voce et fama¹⁾, si defunctus decesserit in iurisdictione dicte comunitatis vel in episcopatu Cumarum; et si alibi mortuus fuerit, tunc probetur per probationes legitimas.

LXXXVIII. De tabellionibus accipiendis ad
recipiendum testes.

Item statutum est, quod si aliquis voluerit producere aliquos testes in aliqua causa, liceat ei accipere vnum tabellionem quem voluerit ad ipsos testes recipiendos et scribendas attestaciones ipsorum testium; et similiter liceat aduerse parti accipere et habere vnum alium tabellionem quem voluerit, qui esse et stare debeat et possit cum predicto alio tabellione ad ipsos testes recipiendos, qui quidem tabelliones sint de iurisdictione comunitatis vallis Lugani et ripperie. Possint tamen accipi dicti tabelliones extra dictam iurisdictionem, si fuerit de voluntate ambarum partium. Qui tabelliones recipiant et recipere debeant solutionem a partibus suis secundum eorum voluntatem aut secundum quod conuenerit cum eis. Et quod ipsi duo tabelliones, si partibus vel alicui partium placuerit, iurent quod bona fide sine fraude et legaliter ipsos testes recipient et eorum attestaciones scribent et nichil fraudis in eis committent. Et quod ante aperturam ipsorum testium non manifestabunt aliquo modo vel ingenio dicta ipsorum testium alicui parti nec alicui alteri persone. Et post aperturam ipsorum si postulatum fuerit a partibus ipsas attestaciones eis exemplabunt cum omni veritate et sine aliqua diminutione vel additione fraudolosa. Et qui tabelliones debent scribere titulum probandi et natiuitatem Domini in capite carte seu papiri et seriem cuiuslibet testimonii, sicut cuiuslibet testis dicit; et sex questiones possunt fieri testi pro parte illius contra quem producitur, et non dicant nec scribant: ita dixit, in prima nec secunda nec tertia nec quarta nec quinta nec sexta questione, sed distincte scribant dicta cuiuslibet testis in serie et questionibus. Sed titulum probandi cuiuslibet testium legant et scribant legaliter que dixerunt ipsi testes, et non differatur productio²⁾ aliquorum tes-

¹⁾ Das Folgende fehlt in B und T.

²⁾ Be: receptio.

tium propter absentiam tabellionis illius contra quem producantur, et nulli parti concedatur habere aliquem tabellionem ad receptionem et super receptione ipsorum testium, si manifeste et rationabiliter apparuerit et in continenti sine mora ea die probatum fuerit iudici qui de illa causa cognoscit. Item de illis testibus quos capitaneus vel eius vicarius ex officio tantum et non a partibus vel ab aliqua partium productis receperint vel recipi preceperint nichil habeant scribe comunitatis nec alii scribe, et attestations testium debeant exemplari per scribas qui eos receperint, si fuerint presentes et si hoc facere possent; et si facere non possent propter absentiam vel iustum Dei impedimentum, quod sit in arbitrio capitanei vel eius vicarii. Et quod ex parte producentis possint fieri sex questiones super quolibet capitulo de rationibus et causis dicti sui reddendis a testibus qui ad eius petitum producantur. Et quod vltra quatuor testes non possint produci nec recipi super eodem capitulo. Et quod possit dari vnus suspectus tabellio tantum pro vtraque parte.

LXXXXV. Quod bannitus non possit esse testis.

Item statutum est, quod bannitus maleficii siue de maleficio et ex causa maleficii non possit esse testis in aliqua questione.

LXXXXVI. De temporibus quibus debet ascendi banchum.

Item statutum est, quod dominus capitaneus vel eius vicarius teneatur et debeat ascendere banchum¹⁾ semel qualibet die hora none vel circa pro iure reddendo, et hoc nisi sit dies feriata vel dies mercati, quibus ascendere non teneatur nec debeat. Que dies feriate intelligantur et sint dies describe in matricula dierum feratarum.

LXXXXVII. Quod dies qua ascenderit banchum capitaneus habeatur pro vna die vtili.

Item statutum est, quod quelibet dies qua dominus capitaneus vel eius vicarius vel eorum vel alterius eorum locumtenens ascenderit banchum pro iure reddendo, sit vna dies vtilis.

LXXXXVIII. De die feriata que ceciderit in die termini.

Item statutum est, quod si dies termini ceciderit in die feriata, intelligatur et sit die iuridica immediate sequenti.²⁾

¹⁾ B: banchum iuris.

²⁾ B fügt bei: que non sit feriata.

LXXXVIII. De iure reddendo forensibus.

Item statutum est, quod capitaneus et eius vicarius comunitatis vallis Lugani et ripperie teneantur non aliter facere rationem et ius aliquibus personis extraneis nisi sicut ipse extranee persone et consules seu potestates et iudices locorum in quibus domicilium habent, faciunt et dicunt hominibus dicte comunitatis et iurisdictionis.

C. De rebus non auferendis laboranti terras.¹⁾

Item statutum est, quod non possit nec debeat auferri aliquo modo alicui persone laboranti seu colenti terras ad suas manus, quo minus habeat duos boues vel duas vachas ad laborandum, cum quibus laboret terras ad suas manus, et carrum vnum et massam vnam et alia vtensilia siue instrumenta pertinentia ad laborerium terre, pro aliquo debito vel aliqua parabula data per capitaneum vel eius vicarium vel aliquo alio modo. Sed laborantes et colentes terram duos boues vel duas vacas et aratrum vnum et massam vnam et carrum vnum et alia vtensilia necessaria ad colendum et laborandum terras habere possint. Saluo tamen quod domini qui dederint ipsos boues vel vacas possint auferre eis ipsos boues vel vacas secundum ius, non obstante hoc statuto aliquo modo; et eo saluo quod dominus terrarum, quas laborat ipse qui habet predictos boues et vachas, pro ficto et iure suo ipso massario deserente terras ipsius domini possit auferre, saluo tamen iure domini cuius fuerint boues et vace.

CI. De venditione generali²⁾ non probanda per testes.

Item statutum est, quod nulla emptio vel venditio de rebus immobilibus vel generalis emptio vel venditio omnium bonorum alicuius persone possit probari per testes aliquo modo, si ipsa venditio vel emptio excesserit quantitatem soldorum quadregenta terciolorum.

CII. De vltima voluntate non probanda per testes.

Item statutum est, quod nulla vltima voluntas possit probari per testes, sed per cartam attestatam tantum.

CIII. De donatione inter viuos non probanda per testes.

Item statutum est, quod nulla persona de cetero possit.

¹⁾ Ba: den Meyern.

²⁾ Ba: ein gar begriffiger Verkauf.

probare per testes de donatione inter viuos sibi facta, nisi ostenderit instrumentum attestatum inde factum.

CIIII. De nullitate donationum.

Item statutum est, quod de cetero nulla carta donationis fiat inter viuos irreuocabiliter vel causa mortis, nisi fiat in presentia capitanei vel eius vicarii vel locumtenentis, et donatio aliter facta nullius sit valoris et momenti et cassa et inutilis sit, nisi forte esset donatio que fieret in vltima voluntate in infirmitate, ex qua infirmitate mortuus fuerit ille qui dictam donationem fecerit.

CV. De sacramento prestando per donatorem et donatarium.

Item statutum est super donationibus que de cetero fient inter viuos coram capitaneo comitatus vallis Lugani et ripperie seu eius vicario vel locumtenente, quod si huiusmodi donationes fient de breuibis vel aliquibus obligationibus seu condemnationibus, quod donator et donatarius coram capitaneo seu eius vicario vel locumtenente, coram quo huiusmodi donationes fient, per se personaliter iurent corporaliter ad sancta Dei euangelia quod breuia seu carte et condemnationes, de quibus donationes fient, erant antequam tractatum foret de huiusmodi donationibus penes donatorem vel aliam eius summissam personam, et quod ipsi donatori nec predecessori suo nec alii pro eis de quantitate de qua donatio fit non est solutum nec satisfactum in toto nec in parte. Et quod huiusmodi donatio est pura et sine pretio et vera et absque aliqua fraude, simulatione et fictione. Si autem huiusmodi donationes fient de terris vel aliis rebus, iurent et iurare debeant personaliter donator et donatarius corporaliter ad sancta Dei euangelia coram dicto domino capitaneo vel eius vicario vel locumtenente vt supra, quod donatio que fit est pura sine pretio et vera et bona fide inter eos celebrata absque aliqua fraude, fictione et simulatione, et si donationes aliter facte fuerint, de cetero nullius sint momenti et valoris, sed perinde habeantur ac si facte non forent.

CVI. De donationibus inter viuos.

Item statutum est, quod omnes donationes facte et que fient inter viuos coram aliquo misso capitanei specialiter constituto per cartam valeant et eiusdem sint efficacie ac si facte forent coram presentia ipsius capitanei.

CVII. De rebus datis per sponsum sponse et e
conuerso.

Item statutum est, quod nulla donatio presumatur nec intelligatur esse facta inter virum et vxorem nec inter sponsum et sponsam, ita quod etiam per mortem donatoris vel illius qui vel que receperit donationem non intelligatur esse confirmata donatio, sed quecunque data fuerint vxori vel sponse per sponsum vel maritum vel aliam personam eius nomine, perueniant penes ipsum maritum vel sponsum vel eius heredem, et e conuerso quecunque data fuerint et portata fuerint marito vel sponso per sponsam vel vxorem vel eius nomine, perueniant et remaneant penes vxorem vel sponsam vel eius heredem soluto matrimonio. Et hoc habeat locum in rebus extantibus tempore soluti matrimonii vel sponsaliorum, non habita distinctione quis eorum prius decesserit. Saluo quod hoc statutum non habeat locum in dote et donatione propter nuptias seu antefacto, in quibus seruentur statuta hinc retro seruata.

CVIII. De contractibus factis inter patrem
laicum et filium clericum.

Item statutum est, quod omnes contractus, venditiones vel donationes hinc retro aliquo tempore facti inter patrem laycum et filium clericum emancipatum vel inter alias quascunque personas et qui in futurum fient seu celebrabuntur, cuiuscunque rei sit facta venditio, donatio seu alienatio, sit nullius momenti et valoris et ipso iure sit et habeatur cassus et irritus et pro casso et irrito et pro non facto teneatur et habeatur omni tempore.

CVIII. De probando sententiam gentilitatis.¹⁾

Item statutum est, quod nulla persona possit probare de sententia gentilitatis vel ciuilitatis pro se lata per testes, sed per cartam attestatam tantum.

CX. De terra empti a massario.

Item statutum est, si burgensis vel rusticus vel alia persona que laborauerit aliquam terram alieno nomine, alienauerit alicui aliquam terram, quod ille qui eam terram emerit, teneatur domino massarii ipsam rem restituere iure ordinario, nisi ille emptor monstauerit cartam attestatam veterem decem annorum vel plus vel per testes ydoneos

¹⁾ Ba: Adlichkeit.

ipsam terram fuisse datoris sui qui non sit massarius eiusdem domini, quo monstrato per cartam vel per testes, vt dictum est, ius dicatur partibus tanquam si hoc statutum non esset.

CXI. De massario terre contingue appellato a domino.

Item statutum est, si aliquis massarius appellatus fuerit a domino cuius massarius est de terra quam dicat dominus esse de massaritia suo, et massarius dicat illam terram esse suam et non de massaritia domini esse, si illa terra est contingua cum illa quam confitetur de massaritia domini esse, et si massarius probare non poterit per cartam aqvisiti que non sit facta a massariis eiusdem domini, quod illa terra sit sua, ex sacramento domini scilicet ipso domino iurante quod illa terra contingua sit sua et ex suo massaritia, remaneat in domino ita iurante. Idem seruetur et fiat in illo qui fuit massarius et in qualibet alia persona extranea que non stetisset massarius, si teneret de terris, sedimine vel domibus que consueuerint laborari vel teneri per massarium seu eius familiam in fauorem domini, tanquam si illa extranea persona fuisset massarius, nisi contrarium ostenderit vel aqvisiuisse ab ecclesia vel nobile vel ciue Cumano¹⁾ vel burgense. Et quod nulla prescriptio sit nec intelligatur esse cursa alicui persone contra aliquem massarium vel aliam personam extraneam²⁾ cuiuscunque conditionis et status sit.

CXII. De massario appellato a domino cuius est terra non contingua.

Item statutum est, quod si aliquis massarius qui est vel fuerit massarius fuerit appellatus a domino de terra, sedimine vel domibus, quas seu que dicat dominus esse de suo massaritia, et massarius qui appellatus fuerit dicat terram illam esse suam et non de massaritia domini, et terra non sit contingua cum illa quam confitetur esse de massaritia domini, si massarius probare non poterit per cartam vel per testes quod illa terra sit sua, sit³⁾ sacramento domini illo iurante quod illa terra sit sua seu sedimen vel domus et de suo massaritia, et remaneat in ipso domino ita iurante. Et eo casu si massarius probauerit quod ipsa terra sit sua, quod et dominus habeat potestatem et virtutem probandi per cartam vel

¹⁾ Cumano fehlt in B und T.

²⁾ extraneam fehlt in B (steht dagegen in T).

³⁾ Be: stetur.

per testes, quod illa terra sit sua et de suo massaritia, et utroque probante ratio cognoscatur secundum iuris ordinem et salvo quod dictum est in alio statuto de terra contingua. Idem intelligatur et seruetur in massariis et aliis qui fuerunt massarii terrarum, sediminis vel domorum sitarum vbique in comitatu vallis Lugani et ripperie, et in quolibet patrefamilias qui fuerit massarius, siue habuerit filium vel filios in familia siue non, et probatum fuerit per testes vel instrumenta vel per propriam confessionem, patrem fuisse vel esse massarium. Et hoc statutum et statuta de hac materia loquentia ita locum habeant contra filios et alios sicut contra patrem, et idem per omnia in pluribus fratribus stantibus in eadem familia. Et quod nulla prescriptio sit cursa alicui domino contra aliquem massarium vel aliquem eius familie vel aliam personam tenentem vel laborantem de terris vel sedimine vel domibus massaritia, nisi ostenderit adquisuisse ab ecclesia, ciue Cumano¹⁾ vel nobile vel burgense.

CXIII. Quod massarius non possit probare rem quam tenet esse suam.

Item statutum est, quod nullus massarius seu fictabilis qui laborat seu tenet vel qui fuit massarius vel tenuit nomine alieno, possit probare contra dominum suum, quod terra et res territorie et domus quas tenet et laborat seu tenuit et laborauit sint sue, nisi per publicum instrumentum vel per acta publica, siue sit contingua alii terre quam confitetur massarius esse de massaritia domini, siue non sit contingua, et hoc intelligatur, cum terre, domus et res territorie quas dicit massarius esse suas proprias et non domini, sint in eodem territorio vel loco vbi sunt terre domini; et idem obseruetur in omnibus et per omnia contra illum qui adquisierit ab illis non probantibus vt dictum est terras vel res territorias fuisse et esse massarii. Quo casu teneantur ipsas domos, terras vel res territorias restituere domino et dimittere, iurante ipso domino ipsas terras esse suas et non massarii. Et quod nullum tempus prescriptionis currat alicui domino in aliquo predictorum casuum.

CXIII. De emptione fienda specialiter et non generaliter.

Item statutum est, quod nullus de cetero emat aliquas terras generaliter, sed specialiter, et quod omnes terre et

¹⁾ Cumano fehlt in B und T.

sedimina et earum coherentie in actis seu cartis emptionis ponantur; et si facta fuerit venditio generaliter, non valeat, sed nullius valoris et momenti sit quantum contra dominum et dominos suos, si allegauerit illas terras suas esse; sed ipsas terras sic generaliter emptas, si que emptiones facte fuerint, domino vel dominis restituere teneatur. Et quod nullus rusticus possit acquirere vel habere¹⁾ nec adquisitum habere aliquam domum, possessionem vel terram, nisi eam adquisierit ab ecclesia vel ab aliquo ciue Cumano²⁾ vel a nobile vel burgense per legitimum instrumentum, in quo ipse domus et terre sint specificate et determinate per contratas et coherentias et mensuras; et quod non ponatur in instrumentis generaliter, et quod contra hoc nulla prescriptio sit cursa nec de cetero debeat currere. Et hec omnia habeant locum, si petens legitime ostenderit vel probauerit, se vel predecessores suos habere seu habuisse aliquas terras, domos vel res territorias in ipso burgo, loco vel territorio.

CXV. Quod colonus non possit alienare rem quam tenet.

Item statutum est, quod nullus massarius alicuius domini de aliqua re de qua sit inuestitus vel quam teneat colonario nomine, possit alienare ipsam rem nec eam dolo malo desinere possidere nomine domini³⁾. Et si quis massarius alienabit vel dolo malo desinet possidere, puniatur de libris vigentiquinque terciolorum et alienatio nulla sit, et domino a quo massarius rem alienatam tenebat, sua auctoritate propria liceat in illius rei possessionem intrare et eam tenere, et hoc quocunque modo desinat possidere, nisi contrarium apparuerit et approbetur; et contra istud statutum non habeat locum prescriptio nec contra dominum sit cursa aliqua prescriptio nec currere possit, per quascunque manus dicta terra ambulauerit. Et quod predictum statutum et predicta omnia habeant locum tam si inde fuerit instrumentum inuestiture quam si non fuerit instrumentum.

CXVI. De inuestitura non recipienda per colonum ab alio⁴⁾.

Item statutum est, quod nemo colonus possit nec debeat recipere inuestituram ab alio domino de eo vnde inues-

¹⁾ Be: emere.

²⁾ Cumano fehlt in B und T.

³⁾ B fügt bei: et eius in preiudicium.

⁴⁾ Ba: Dass ein Zinsmann kein Lehenbrief empfangen soll von einem andern Herrn.

titus est a primo domino, et si factum est hinc retro vel de cetero fieret, non valeat nec teneat illa locatio contra primam inuestituram, saluo si vltimus inuestitor haberet titulum venditionis de re inuestita et per comunitatem vallis Lugani fuerit inductus contra eum. Et si quis contrafecerit, soluat pro banno qualibet vice libras decem terciolorum, medietas cuius banni sit comunitatis et alia accusatoris, et quilibet possit accusare. Saluo si compulsus fuerit recipere inuestituram per capitaneum vel eius vicarium priori locatori vel heredi eius vel per alium habentem iurisdictionem, denuntiatione primo facta per cartam attestatam. Et quod inquilinus seu colonus seu qualisqualis fictualis non possit nec debeat petere libellum de re sibi locata vel adfictuata.

CXVII. De colonis conueniendis personaliter.

Item statutum est, quod omnes coloni, partiarii, mezadrii, massarii, fictabiles, empheteote, socidarii, pensionarii et mulinarii¹⁾ per illos quorum veri debitores appareant, occasione fictorum, massariti et socidorum conueniri possint preuia iustitia et pro eorum debitis personaliter detineri, non obstante aliqua lege nec statuto in contrarium edito.

CXVIII. De massario inueniendo super terris vastis.

Item statutum est, si aliqua persona iurisdictionis comitatus Lugani et vallis et ripperie habuerit terram vel sedimina in aliquo burgo, villa seu loco dicte iurisdictionis, que sit solita laborari et coli certo reddito et steterit vasta timore vel potentia, odio vel amore alicuius vel aliquorum, quod comune illius burgi, loci vel ville teneantur ipsam laborare certo reddito dando aut inuenire massarium seu colonum qui ipsam terram labore pro tanto ficto soluendo quantum habebat dominus in precedenti anno quo cepit esse vasta, facta tamen prius denuntia comuni. Et quod comune ipsius burgi, loci vel ville, postquam ei fuerit denuntiatum, teneatur infra quindicim dies recipere inuestituram ipsarum rerum et domorum ab illis personis quarum sunt ipse terre et sedimina, pro predicto ficto soluendo.

CXVIII. De denuntiatione fienda per massarium domino.

Item statutum est, quod si aliquis massarius alicuius persone comunitatis comitatus vallis Lugani et ripperie tenens

¹⁾ Ba: alle Bauwüt, theilgnossig und halbggnossig, Meyer, Zinslüt, Lechenlüt, Gmeinder um Vech, Hauslüt und Müller.

aliquod massaritium vel terram colonario nomine ab aliqua persona dicte comunitatis, qui voluerit se separare a dicto massaritio et terris, teneatur et debeat denuntiare domino massaritii et terre, quod ipsum seu eam non vult tenere nec laborare a festo sancti Martini in antea, et ipsam denuntiationem facere teneatur ante kalendas augusti ipsius anni per cartam attestatam vel in presentia trium testium, et in ipso anno quo repudiat teneatur dimittere vacuas terras que seminantur; et si ipsam denuntiationem non fecerit ante kalendas augusti, non possit ipsum massaritium vel terras dimittere seu repudiare vsque ad sequentem annum, sed laborare teneatur et soluere prout laborabat et soluebat ante. Et quod dicta denuntiatio etiam possit fieri ex parte capitanei vel eius vicarii prout placuerit denuntianti. Si vero dominus dictorum massaritii et terrarum voluerit excumiare¹⁾ massarium a massaritio seu terra, teneatur et debeat denuntiare dicto massario, quod ipsum non vult per suum massarium a festo sancti Martini in antea, et hoc per totum mensem augusti.

CXX. De letamine non exportando per massarium.

Item statutum est, quod si aliquis massarius de cetero relinquat aliquod massaritium et in ipso massaritio esset aliquod letamen vel stramen pro letamine faciendo, quod ipse massarius non possit nec debeat ipsum letamen vel stramen de ipso massaritio exportare, sed ibidem dimittere teneatur. Et idem intelligatur pro palis et furchonibus. Et quod similiter non possit nec debeat exportare de ipso massaritio cesas nec ligna cese nec paleam nec aliquam arborem incisam nec grates nec gratitias²⁾ nec assides nec plodas inficatas nec starnitas nec incauigiatas³⁾ nec aliqua lignamina posita in labore in dicto sedimine vel muris ipsius sediminis. Et hoc idem intelligatur, si dominus expelleret massarium suum de massaritio suo seu sedimine.

CXXI. Quod massarius non possit petere libellum
a domino.

Item statutum est, quod nullus massarius vel fictabilis vel eius vxor vel aliquis de sua familia possit in aliqua questione petere libellum a domino vel habentibus causam ab eo de aliqua re de qua fuit massarius vel fictabilis, de qua re fuerit inuestitus.

¹⁾ B: licentiare.

²⁾ T: crates nec cratitias.

³⁾ T: sternitas nec inchauigiatas.

CXXII. De termino dimittendi rem locatam.

Item statutum est, quod quicumque teneret aliquam domum vel possessionem ad fictum, siue inde fuerit inuestitura siue non, eam domum vel possessionem non possit relinquere infra terminum de quo conuenerit cum locatore, si de inuestitura non fuerit instrumentum; et si inde fuerit inuestitura, infra terminum in inuestitura contentum; et si vltra terminum inuestiture vel vltra terminum de quo conuenerit cum locatore, si de inuestitura non fuerit instrumentum, tenuerit videlicet per quinque vel sex vel septem dies, eam domum vel possessionem relinquere non possit, nisi prius soluerit domino domus seu locatori pensionem domus seu fictum possessionis totius anni incepti, et bona conductoris et eius familie, si de inuestitura non fuerit instrumentum, obligata et ipotecata intelligantur et sint locatori pro ficto totius anni incohati, et bona conductoris, si de inuestitura fuerit instrumentum, sint obligata locatori secundum formam inuestiture. Hoc addito quod bona conductoris vxores et filii habitantes in domo conducta seu tenentes possessionem pro aliquibus iuribus defendere non valeant nec eorum defensio admittatur contra locatorem vel locatoris heredes.

CXXIII. De re locata non auferenda massario infra terminum locationis.

Item statutum est, quod si aliqua persona conduxerit vel inuestita fuerit ad certum fictum, medietatem vel tertium faciendum de aliqua domo, terra vel possessione ad annum vnum vel plures, quod locator vel alia persona habens aliquod ius ab eo titulo venditionis vel aliquo alio titulo, non possit auferre ipsam domum, terram vel possessionem sic locatam infra tempus locationis soluendo fictum de quo conuenit ipsi locatori vel habenti causam ab eo.

CXXIII. De termino dato locatori ad denunciandum conductori.

Item statutum est, quod quilibet locator domus vel stationis vel banchi, si voluerit conductori rem locatam auferre, teneatur denunciare conductori omni anno per mensem vnum ante terminum locationis, quod spatiatam habeat rem conductam domino rei ad terminum locationis pensionate et locate rei pensione soluta et possessione restituta integre locatori. Et similiter conductor alicuius domus, stationis, banchi vel rei volens rem conductam dimittere teneatur omni anno per

mensem vnum ante terminum locationis denuntiare domino rei inuestite, quod non vult tenere rem conductam vltra terminum inuestiture. Et locator seu dominus rei locate qui predictum denuntiammentum predicto modo non fecerit postea non possit auferre, pro suo tenere nec pro aliis locare rem inuestitam conductori infra annum terminum inuestiture sequentem. Et eodem modo conductor qui predictum denuntiammentum non fecerit, postea non possit relinquere rem inuestitam infra annum terminum in inuestitura sequentem. Et si derelinquerit, teneatur et sit obligatus de pensione totius anni domino rei inuestite et ab eo pensionem dominus nichilominus exigere possit. Et hoc siue de inuestitura fuerit instrumentum siue non. Quod quidem denuntiammentum fieri possit per cartam attestatam vel per preceptum capitanei vel eius vicarii seu locumtenentis comitatus vallis Lugani vel in presentia duorum vel trium testium.

CXXV. De re locata dimittenda locatori.

Item statutum est, quod de rebus inuestitis per cartam vel sine carta conductores vel aliquis alius qui intraret¹⁾ seu teneret rem inuestitam non possit domino rei inuestite questionem referre, et quod conductor teneatur et debeat possessionem rei conducte libere restituere et relaxare domino vel locatori ante omnem questionem vel examinationem super iure ipsius rei locate.

CXXVI. Quod de fictis summarie cognoscatur.

Item statutum est, quod de fictis et pensionibus domorum vel terrarum vel aliquarum²⁾ rerum, siue de locatione fuerit instrumentum siue non, non debeat dari libellus, sed de ipsis fictis et pensionibus summarie cognoscatur de plano sine strepitu et figura iudicii.

CXXVII. De questionibus fictorum cognoscendis.

Item statutum est, quod de omnibus questionibus fictorum, medietatum, pensionum, tertii et testamentorum tam preteriti temporis quam presentis et futuri possit et debeat cognosci quolibet tempore tam feriato quam non feriato et summarie sine strepitu et figura iudicii, et possit capi et personaliter detineri, aliquibus statutis, consuetudinibus vel legibus in contrarium loquentibus non obstantibus.

¹⁾ Be: habitaret.

²⁾ Be: aliquarum aliarum.

CXXVIII. De ficto soluendo primo domino per
secundum dominum.

Item statutum est, quod si aliquis massarius laborans aliquas terras alicuius persone comunitatis vallis Lugani et ripperie relinquerit ipsas terras vel massaritium contra voluntatem domini sui, et alias terras vel massaritium acceperit ad laborandum, quod ille dominus a quo acceperit dictas terras vel massaritium, teneatur primo domino soluere totum fictum quod remanserit ad soluendum primo domino, et hoc infra tres menses postquam sibi denuntiatum fuerit per primum dominum, nisi ipse secundus dominus infra ipsum terminum expulerit dictum massarium, ita quod dictas terras suas non laboret.

CXXVIII. De rebus locatis ostendendis domino.

Item statutum est, quod si fuerit aliquis massarius qui dederit seu prestauerit seu fecerit fictum alicui domino de aliquibus terris, domibus vel rebus territoriis per annos decem vel viginti vel plus, quod non possit refutare seu repudiare ipsas terras, domos vel res territorias, nisi ipsas ostenderit per contratas et coherentias vsque ad quantitatem ficti quod rationabiliter percipi potest secundum contratas vbi site sunt ipse terre, vel soluerit perpetuo dictum fictum consuetum. Et predicta omnia locum habeant et seruentur in quolibet domino a quo massarius tenebat rem locatam vel asserenti ipsum fuisse massarium.

CXXX. De non petendo fictum nisi de tribus
annis proxime preteritis.

Item statutum est, quod nulla persona possit petere vel requirere a colonis seu ab inquilinis nec a massariis nec ab heredibus eorum aliquod fictum nec redditum terrarum nec domorum nec aliarum rerum nisi de tribus annis proxime preteritis a die quo predicta peterentur vel requirerentur retro, nisi inde esset condemnatio facta de ipso ficto vel reddito vel carta siue obligatio facta de ipso ficto facta et separata a carta inuestiture. Quibus casibus illa quantitas que fuerit in carta vel condemnatione debita possit peti vel requiri, vel nisi citatio vel requisitio inde facta fuerit et datum bannum; saluo et reseruato quod si dominus detulerit sacramentum ipsi colono vel inquilino de terris vel domibus vel aliis rebus per eum vel predecessores suos quibus successerint colonario vel inquilinario nomine tentis, possessis et laboratis, quod sibi

soluerint vel non soluerint de fictis aliorum annorum, quod tunc dictus massarius si confessus fuerit dicta ficta dare debere, vel recusaret dictum sacramentum facere de solutione predicta, quod tunc massarius teneatur ad solutionem dictorum fictorum et possint peti non obstante hoc statuto.

CXXXI. De re non alienanda persone que non sit de iurisdictione.

Item statutum est, quod si quis iurisdictionis comunitatis comitatus vallis Lugani et ripperie alienauerit aliquo modo de cetero vel amodo alienabit aliquam terram vel res territorias alicui persone que non sit de dicta iurisdictione, et conuictus fuerit de ipsis terris et rebus, vel si conueniatur infra decem annos post ipsam alienationem ab aliquo qui sit de ipsa iurisdictione, teneatur ei facere rationem sub capitaneo comunitatis predicti comitatus vel eius vicario de ipsa terra et re alienata, tanquam si non alienasset. Et si conuictus fuerit, teneatur ipsam rem seu res vel earum extimationem restituere victori saluis sibi omnibus rationibus et defensionibus quas haberet ac si possideret, ita quod per ipsam¹⁾ alienationem nichil iuri derogetur. Alienari intelligimus etiam, si predictae res fuerint extimate per extimatores. Hoc idem seruetur, si ipse res translate fuerint in aliquam personam iurisdictionis predictae, que postea alienauerit alicui qui non sit de ipsa iurisdictione, si ille secundus venditor bannum receperit inde.

CXXXII. De oneribus substinendis per habitantes in comitatu.

Item statutum est, quod omnes habitantes in burgis seu villis comunitatis comitatus vallis Lugani et ripperie teneantur et debeant substinere et soluere omnia fodra, onera et conditia realia et personalia que de cetero imponentur illi burgo vel ville super facultatibus faciendis cum comunibus et hominibus ipsorum burgorum seu villarum vbi stabant tempore facultatum, et etiam soluere teneantur et debeant pro quibuscunque robariis, incendiis et vulnerationibus fiendis²⁾ in ipso territorio cum aliis vicinis ipsius burgi, loci vel ville pro eorum facultatibus, si comune burgi, loci vel ville condemnetur per capitaneum dicte comunitatis, et similiter teneantur facere saluamentum terre illius in qua steterint et soluere mendantias

¹⁾ Be: per primam.

²⁾ Be: factis.

damnorum et vastorum et omnes alias mendantias et omnes expensas refectionum viarum, pontium, ecclesiarum et campanarum ipsius loci et territorii vna cum vicinis ipsius burgi, loci seu ville.

CXXXIII. De expensis stratarum et pontium substinendis.

Item statutum est, quod omnes expense que fieri contingerint occasione aptationis et refectionis stratarum et pontium comunitatis vallis Lugani et ripperie, substineantur et substineri debeant per comunia et homines habitantes in burgis, locis seu villis in quibus et super quorum territorio erunt dicte strate ac pontes, videlicet medietas pro here¹⁾ et medietas pro personis. Persone vero intelligantur maiores annis decem octo et minores annis sexaginta, mulieribus tamen exceptis, que nichil pro personis soluere teneantur, et miserabilibus personis. Idem seruetur in salario officialium stratarum et pontium ac seruitorum cum eis existentium. Et quod officialis possit habere soldos duodicim in die, et seruitor soldos sex terciolorum in illis diebus quibus laborabitur per comunia.²⁾ Et si officialis vel seruitor repertus fuerit recipere vltra supra scriptum salarium vel recipere salarium pro illis diebus, pro quibus non laborabitur, condemnetur officialis vel seruitor in libris decem terciolorum et plus et minus ad voluntatem capitanei. Et quod quilibet possit accusare et denunciare et ei fides adhibeatur cum vno teste, medietas cuius condemnationis sit accusatoris et alia comunitatis.

CXXXIIII. De expensis potestatum soluendis.

Item statutum est, quod omnes expense que fieri contingent occasione potestatum, consulum, campariorum, seruitorum, aduocatorum vel sindicorum et pro descendantibus³⁾ ex eis debeant satisfieri et substineri de denariis condemnationum vel emendantiarum que fieri contingerint, et ipsis deficientibus debeant substineri ipse expense per comunia et homines habitantes in eis pro here tantum.

¹⁾ Be: aere.

²⁾ B und T fügen bei: si ministerium dicti officii fuerit necessarium, et aliter non.

³⁾ B: dependentibus. (T wie A.) Ba: und was us demselbigen entspringen wird.

CXXXV. Quomodo solui debeant expense facte occasione exercituum.

Item statutum est, quod omnes expense facte et que de cetero fient per comunia burgorum et villarum comitatus vallis Lugani et ripperie occasione exercituum soluantur in hunc modum: videlicet medietas¹⁾ ipsarum expensarum solvatur pro here et medietas²⁾ pro personis. Persone vero intelligantur ille que tenentur ire ad exercitum, que sunt maiores decem octo annis et minores sexaginta.

CXXXVI. Quomodo solui debeant debita testamentorum.

Item statutum est, quod debita que imminent et imminebunt alicui comuni comitatus vallis Lugani et ripperie occasione testamentorum seu consignationum personarum vel fructuum vel aliarum rerum, substineantur medietas pro here et reliqua medietas pro personis. Saluo quod de ipsis expensis non teneantur persone minores quindicim annis nec maiores septuaginta nec vidue videlicet pro personis tantum.

CXXXVII. De decima non exigenda nisi de rebus consuetis.

Item statutum est, si aliqua persona acceperit aliquam decimam ad colligendum ab aliqua persona vel ecclesia, quod illa persona que acceperit non possit decimam petere de aliis rebus vel exigere ab eo qui decimam dare debuerit, nisi de illis rebus tantum de quibus consuevit dari decima domino decime et decimationis. Et predicta omnia fiant saluo omni iure domino decime. Et in quolibet anno non possint illi qui acceperint ad colligendum compellere illos homines qui consueverunt et dare debent decimas³⁾ predictas, vt sibi faciant rationem a festo natiuitatis in antea de predictis fructibus, redditibus et gaudimentis male preterquam de oleo siue oliuis et castaneis, pro quibus compellere possint illos qui dare debent et consueverunt decimas vsque ad festum carnispriuii, et de bestiolis vsque ad festum sancti Georgii. Saluo iure domino decime. Et quod ratio dominorum decimarum sit salua in eo quod possint fructus decimarum petere pro tribus annis preteritis, si de iure eos fructus pe-

¹⁾ B und T: due partes.

²⁾ B und T: tertia pars.

³⁾ Be: consueverunt dare decimas.

tere potuerint, videlicet annis¹⁾ proxime preteritis a die petitionis retro.

CXXXVIII. De non opponendo quin ius reddatur de decimis.

Item statutum est, quod nulla persona possit opponere vel allegare quin ius reddatur de decimis et fructibus earum per dominum capitaneum et eius vicarium, et si quis contrafecerit aduocando, procurando, litigando vel alio modo, sit extra protectionem comunitatis vallis Lugani.

CXXXVIII. De decima possessa per annos XL.

Item statutum est, quod si qua decima possessa vel quasi seu tenta fuerit per aliquem per annos quadregenta continuato tempore suo cum temporibus datorum seu antecessorum suorum, presumatur sua, et si quis eum impediat quocunque modo, quod capitaneus et comunitas vallis Lugani et ripperie teneantur eum adiuuare et defendere omnibus modis ad voluntatem illius qui illam decimam possiderit vt supra, sub pena librarum centum terciolorum comunitati, et impediens eximatur de protectione comunitatis predictae et iudicens de predictis teneatur procedere ad voluntatem actoris sub pena librarum decem terciolorum qualibet vice.

CXL. De termino exigendi pignera.²⁾

Item statutum est, quod si alicui persone data fuerint vel ad eius manus peruenerint quouis modo aliqua pignera alicuius sui debitoris quauis occasione vel debito, teneatur et debeat ille debitor ipsa pignera exigisse et recuperasse a dicto creditore penes quem essent ipsa pignera infra dies quindicim a die facte denuntiae illi cuius fuerint dicta pignera, et soluisse debitum cum expensis dicto creditori, quo termino elapso possit dictus creditor et ei liceat citato prius debitore ipsa pignera incantari facere ad banchum iuris seu domum regiminis dicte comunitatis et ipsa pignera vendere plus offerenti. Et si plus venderentur quam esset debitum cum expensis, teneatur dictus creditor illud plus restituere dicto debitori. Possitque dictus debitor ipsa pignera post dictum incantum et venditionem factam vt supra luere et exigere dicta pignera ab illa persona, que ipsa pignera incantauerit, infra decem dies a die incantus et venditionis facte in antea

¹⁾ B: tribus annis.

²⁾ Ba: Von dem Zyl die Pfänder abzulösen.

computandos et non vltra, soluendo et restituendo pretium dicti incantus seu venditionis et expensas factas et soldum vnum¹⁾ terciolorum pro libra. Que quidem denuntia et incantus scribi debeant per notarium officii notarie dicte comunitatis. Et quod ipsa pignera non possint nec debeant incantari per aliquam personam non suppositam iurisdictioni dicte comunitatis nec ei aliqualiter vendi. Et quod seruator qui proclamauerit dicta pignera ad incantum, habeat pro eius mercede soldos duos terciolorum.²⁾

CXLI. De comunantiis³⁾ non alienandis.

Item statutum est, quod comunia burgorum et locorum non habeant virtutem alienandi comunantias, specialiter terras et res territorias comunantiarum, nec extinguntur ipse comunantie nec possessio alicui detur nec dari possit pro debitis vniuersitatis locorum vel pro debitis singulorum. Et appellatione alienationis contineatur pignatio et diuisio et alii modi qui appellatione alienationis continentur per leges. Et comune quod contrafecerit soluat pro banno comunitati libras viginti-quinque terciolorum, et alienatio nichilominus sit irrita et nullius momenti. Et capitaneus seu eius vicarius super iis summarie cognoscere teneantur. Et si per comunitatem siue per consilium generale dicte comunitatis siue per prouisiones siue per statutum siue per donationem siue per locationem siue per inuestituram vel quocunque alio modo dentur siue per comunia essent alienate per predictos modos vel alio modo, sint casse ipse venditiones vel cessiones vel inuestiture vel quocunque modo alienationes vel adacoram dationes⁴⁾. Et si quod statutum vel prouisio esset in contrarium, sit cassum et cassa et irritum et irrita. Et quod comunia possint ingredi et apprehendere possessionem ipsarum terrarum et possessionum sic alienatarum et vti ipsis impune sua auctoritate propria. Et quod comunia non possint vetare habentibus terras et eas laborantibus ad suas manus, quominus vti possint ipsis comunantiis sicut alii vicini. Et quod comune non teneatur emptori restituere pretium emptionis nec inde conueniri possit.

¹⁾ Be, B und T: solidos duos.

²⁾ B und T fügen bei: Et quod hoc statutum non habeat locum in causis dationum, tearum et condemnationum criminalium, in quibus summarie procedatur, citata tamen parte cuius interest.

³⁾ Ba: allmeind.

⁴⁾ Be: ad colam dationes. B: vel ad collaudationes. T: ad acolam dationes.

CXLII. De bonis hereditatis non contestandis.

Item statutum est, si aliqua persona cui imposita sit facultas per comunitatem comitatus vallis Lugani et ripperie et delata fuerit ei aliqua hereditas ab intestato vel ex testamento vel aliter alicuius, qui non habitaret in illo comuni in quo habitabat ille cui delata fuerit dicta hereditas, quod locus vel burgus seu homines habitantes in ipso loco vel burgo in quo habitabat ille per quem delata est hereditas, non possint contestare ficta hereditatis nec bona eius aliquo modo vel ingenio de cetero causari occasione ipsius hereditatis, dummodo ipse cui delata fuerit dicta hereditas, pro ipsa hereditate fodrum soluat et onera substineat in comunitate predicta. Et saluo quod teneatur soluere partem contingentem ipsi defuncto de cuius hereditate agitur de debitis que imminabant ipsi comuni tempore mortis.

CXLIII. Quod nullus sit heres cum beneficio inuentarii.

Item statutum est, quod de cetero nullus possit esse heres cum beneficio inuentarii de aliqua seu in aliqua hereditate sibi delata, sed simpliciter sit heres vel simpliciter repudiet hereditatem sibi delatam.

CXLIIII. Quod quilibet possit succedere in feudis¹⁾.

Item statutum est, quod quilibet possit succedere in feudis, licet nolit esse heres in propriis.

CXLV. De questionibus hereditatum summarie cognoscendis.

Item statutum est, quod capitaneus et eius vicarius cognoscere debeant qualibet die feriata²⁾ summarie et sine strepitu iudiciorum de omnibus questionibus que coram eis vel aliquo eorum verterentur inter quascunque personas occasione alicuius hereditatis seu alicuius testamenti vel codicilli et cuiuslibet alterius vltime voluntatis. Cognitio quarum questionum ad ipsum dominum capitaneum et eius vicarium debeat et intelligatur pertinere.

CXLVI. De bonis describendis in questionibus hereditatum.

Item statutum est, si questio fuerit alicuius hereditatis, quod incontinenti describantur bona mobilia et se mouentia

¹⁾ Ba: Erblechen.

²⁾ Be, B und T: et non feriata.

que dicantur esse hereditaria. Et hoc ad instantiam cuiuslibet pretendens habere ius in dicta hereditate.

CXLVII. De non legando vxori vltra libras L.

Item statutum est, quod nullus vir possit instituere vxorem suam sibi heredem nec legare vxori sue per testamentum nec per codicillos vltra libras quingenta terciolorum. Et si quis instituisset vxorem suam sibi heredem hactenus, institutio non valeat, sed cassa sit et irrita, et insuper quodlibet legatum hactenus factum per aliquem virum alicui vxori sue vltra libras quingenta terciolorum non valeat, sed cassum sit et irritum. Et quod idem intelligatur, si relictum fuerit alicui submissee persone in fraudem huius statuti. Et idem intelligatur, si maritus vxorem suam fideicommissariam fecerit vel distributricem aliquorum bonorum suorum. Saluo quod quicumque qui habuerit filios vel filias vel filium seu filiam ex ipsa vxore sua, possit et ei licitum sit ipsam instituere dominam et massariam bonorum suorum, ipsa custodiendo lectum viri sui.

CXLVIII. De bonis defuncti perueniendis in agnatos paternos.¹⁾

Item statutum est, quod nec mater nec auia de cetero et in futurum possit ab intestato succedere filio suo nec filie sue nec ablatice nec ablatice. Idem in auo materno et aliis vltioribus in gradu coniunctis defuncto vel defuncte ex linea materna et ratione materni sanguinis, siue sit in linea collateralis siue de alia linea; sed bona defuncti vel defuncte ab intestato perueniant in agnatos siue parentes proximos paternos, et eis deficientibus succedant coniuncti ex linea materna proximiores. Et si contingat filium vel ablatice vel filiam vel ablatice sine liberis²⁾ decedere ab intestato relicta matre vel auia paterna, quod tunc et eo casu si non habeat aliunde vnde sufficienter se alere possit, habeat et habere debeat in bonis eius filii vel ablatice, filie vel ablatice alimenta decentia secundum facultatem illius filii vel ablatice, filie vel ablatice decedentis, et hoc in vita sua, ipsa honeste et viduate manente. Quod quidem statutum locum habeat in futurum.

CXLVIII. De dote non preferenda priori credito.

Item statutum est, quod nulla mulier nec eius heredes nec cui cesserit locum et iura preferatur creditoribus priori-

¹⁾ Ba: den Gesipten Vattershalb.

²⁾ T: filiis.

bus in dote neque in antefacto¹⁾ seu donatione propter nuptias, sed qui prior est in tempore, potior sit iure pigneris et ypotece. Sed possint mulieres accipere fideiussores et redditores de dotibus sibi reddendis et antefacto seu donatione propter nuptias eis soluendis, non obstante aliqua lege hoc prohibente.²⁾

CL. De oblatione fienda mulieri de denariis dotalibus.

Item statutum est, si alicui mulieri fuerint extimate et in solutum date res mariti vel soceri pro dote sua vel antefacto seu donatione propter nuptias constante matrimonio, vel alio modo adepta fuerit possessionem de bonis mariti vel soceri, constante matrimonio vel finito, occasione dotis et donationis propter nuptias, eiusdem retentionis quoquomodo et alio iure ei reseruato, si ex alio iure competat ei retentio vel aliud ius ei competat ad agendum, quod liceat creditoribus mariti et soceri et ius habeant offerendi ipsi mulieri et³⁾ heredibus vel cui dederit dotem et antefactum seu donationem propter nuptias et pro qua et quo fuerint extimate et in solutum date, non obstante aliqua prescriptione temporis minore annorum triginta. Et capitaneus teneatur facere dimittere creditoribus offerentibus et soluentibus vt supra dictum est ipsas res extimatas et in solutum datas et cedere iura et actiones creditoribus sine placito et ydoneam cautionem cum fideiussore ydoneo prestare in laudem capitanei vel eius vicarii de euictione tantum pro suo dato et facto. Et quod maritus et heres eius possit exigere ipsas res extimatas et illis in solutum datas vel aliter apprensas per vxorem, soluendo vxori vel habenti causam ab ea de eo quod habere debuerit pro dote et antefacto et aliis que haberet super bonis mariti.

CLI. Quod bona soceri sint obligata nurui.

Item statutum est, si aliquis homo de cetero consenserit alicui suo filio vxorem seu sponsam accipienti seu qui acciperit, vt se obliget vxori seu sponse pro dote vel antefacto seu⁴⁾ consulto suo seu donatione propter nuptias seu vt in-

¹⁾ Be hier und im Folgenden immer antefacto.

²⁾ Ba: dos: Heimsteuer; antefactum: Morgengabe.

³⁾ Be und T: vel.

⁴⁾ Be und T: et.

uestiat ipsam vxorem seu sponsam suam de dote vel antefacto et tertia seu quarta, vt mos est, et non obligauerit ipse pater expressim bona sua in totum vel pro parte pro dote vel antefacto seu tertia seu quarta, quod bona ipsius patris tam illa que habet tempore inuestiture ipsius¹⁾ seu obligationis quam ea que postea adquisiuerit, sint et intelligantur et esse debeant pigneri et ypotece obligata nurui sue pro dote et antefacto suo vel tertia seu quarta pro ea parte bonorum tantum que contingeret dictum virum suum habere tempore quo dos exigeretur seu quo locus extat exactionis dotis de bonis patris, si contingeret ipsum patrem mori ab intestato. Et quod easdem prerogatiuas et priuilegia habeat ipsa nurus in predicta parte bonorum soceri sui, quas et que haberet in propriis bonis viri, et alicui mulieri facta tertia seu quarta seu donatione tertie seu quarte omnium bonorum a viro seu sponso suo de consensu predicti soceri, quod ipsa tertia seu quarta debeat intelligi esse facta tantum sub ea parte bonorum, que tempore exactionis ipsius tertie seu quarte contingerit ipsum virum suum. Et hoc statutum factum super dotibus et antefactis²⁾ et tertia vel quarta locum habeat, nisi aliter conuenerit inter contrahentes, et habeat locum et seruetur tam in preteritis quam futuris matrimoniis et dotibus et antefactis et tertia vel quarta. Et quod dictum est in patre et filio, intelligatur et seruetur in auo paterno.

CLII. De termino infra quem maritus faciat consultum vxori.

Item statutum est, si aliquis duxerit vxorem, infra mensem vnum ex quo duxerit eam possit ei facere cartam consulti³⁾ et sui antefacti et tertie seu quarte. Et si infra mensem non fecerit, non habeat maritus postea virtutem faciendi. Et si facta fuerit, nullius momenti sit et valoris, nisi si facta fuerit in presentia capitanei vel eius vicarii, quo casu iurare teneantur dicti maritus et vxor, quod hoc non fit in fraudem alicuius, et quod instrumentum factum in presentia capitanei vel eius vicarii non noceat anterioribus creditoribus qui precedant ipsam mulierem.

CLIII. De donatione propter nuptias relinquenda liberis.

Item statutum est, quod quelibet mulier que superuixerit

¹⁾ Be: ipsius dotis.

²⁾ Be und T: dotibus, consultibus et antefactis.

³⁾ Ba: den Brief ihrer Sicherheit.

maritum suum, si haberet filios vel filias ex ipso marito suo premortuo, teneatur et debeat, quandocunque contingerit ipsam contrahere matrimonium secundo vel tertio et sic deinde, relinquere donationem propter nuptias siue antefactum dimittere et restituere ipsis filiis vel filiabus ex ipso marito, a quo habuisset vel habere deberet donationem propter nuptias siue antefactum. Et quod hoc statutum locum habeat in omnibus, etiam si illa mulier intrauerit religionem, scilicet quod teneatur relinquere donationem propter nuptias seu antefactum ipsis filiis vel filiabus suis. Et quod si de cetero aliqua mulier peteret donationem propter nuptias, quod satisfacere teneatur cum bonis fideiussoribus de iurisdictione comitatus vallis Lugani et ripperie de restituendo antefactum seu donationem aliquo predictorum casuum existente.

CLIIII. Q u o d c o n t r a c t u s m u l i e r u m f a c t i d e
h e r e d i t a t e h a b e a n t l o c u m .

Item statutum est, quod fines, venditiones et pacta et contractus facti, facte et facta per mulieres de hereditate viuentium habeant locum, et intelligantur et sint de hereditatibus seu successioneibus que deferuntur seu veniunt seu que deferri vel obuenire possunt ab intestato tantum et non ex testamento vel alio iure.

CLV. D e m a r i t o c o n f i t e n t e s e v e r g e r e a d i n -
o p i a m c o n d e m n a n d o .

Item statutum est, quod si aliquis fuerit obligatus alicui mulieri ratione dotis et antefacti seu donationis propter nuptias, et confessus fuerit se vergere ad inopiam, valeat eius confessio absque alia probatione, et contractus qui ea occasione factus fuerit valeat. Et si maritus aliquis confiteatur se vergere ad inopiam, et propterea condemnatur ad restitutionem dotis et antefacti, quod tunc maritus, qui sic condemnatus fuerit, possit capi et in carceribus includi et teneri per creditores suos, non obstante aliquo statuto, prouisione nec aliis iuribus, nisi ipse condemnatus vt supra cedat bonis suis in publica conctione secundum formam statutorum comunitatis vallis Lugani et ripperie.

CLVI. D e d o t e n o n a l i e n a n d a p e r v x o r e m .

Item statutum est, quod vxor non possit constante matrimonio alienare dotem neque donationem et res ei datas in solutum dotis et donationis nec pigneri obligare alicui persone, etiam si maritus eius confessus fuerit vergere ad in-

opiam vel aliter probatum fuerit, nec etiam cedere ius et actiones de predicta dote et donatione et de rebus datis ei in solutum pro dote et donatione, etiam consentiente viro.

CLVII. De dote lucranda per vxorem si superuixerit maritum, et e conuerso.

Item statutum est, quod vxor si superuixerit maritum, lucretur dotem et donationem propter nuptias, *sive habuerit filios ex illo marito siue non,*¹⁾ siue conuolauerit ad secundum matrimonium siue non, sine aliqua satisfactione inde prestanda. Similiter maritus lucretur dotem et donationem, si filios non habuerit ex illo matrimonio, siue res data fuerit in dote estimata et siue res date fuerint in solutum pro dote et donatione siue non, si vxor primo decedat.

CLVIII. Quod mulier non nubat extra iurisdictionem cum hereditate.

Item statutum est, quod nulla mulier de iurisdictione vallis Lugani et ripperie se nubat cum hereditate extra dictam iurisdictionem seu episcopatum Cumarum. Et si nupta fuerit extra dictam iurisdictionem siue episcopatum, non succedat alicui de iurisdictione dicti comitatus vallis Lugani et pertinentiarum, sed illa hereditas perueniat in agnatos proximiores vel alios propinquos, et hoc siue perueniat ex testamento siue ab intestato; et eo modo perueniat in agnatos proximiores vel alios propinquos, si mulieri nupte extra iurisdictionem predictam et episcopatum Cumarum hereditas aliqua deferatur seu aperiat. Idem sit et intelligatur in omnibus descendentibus talium mulierum, qui nati fuerint ex non supposito dicte iurisdictioni vel episcopatui.

CLVIII. De rebus consignatis hospiti restituendis.

Item statutum est, quod omnes hospites, stabularii, caupones et albergatores comunitatis comitatus vallis Lugani et ripperie teneantur et debeant resarcire et restituere hospitibus suis et omnibus illis quos receperint et qui ad hospitium ipsorum albergatorum causa hospitandi iuerint, somas et omnes alias res que deducte et consignate fuerint illis albergatoribus, cauponibus et stabulariis et nautis in eorum hospitibus vel extra, seu eorum nuntiis seu alicui de eorum familiis, tam si ipsas res receperint saluas fore quam non receperint,

¹⁾ Das cursiv Gedruckte ist durchgestrichen, es fehlt auch in B und T und in der Uebersetzung Ba, steht dagegen in Be.

et tam ipsis scientibus quam ignorantibus, si ipse res ad eorum hospitium intus vel extra deducte fuerint et consignate, et omnem custodiam et diligentiam teneantur albergatores, caupones et stabularii prestare et adhibere in rebus et de rebus in eorum hospitibus intus et extra adductis et illatis et consignatis et resarcire atque restituere vt supra. Saluo quod si placuerit albergatoribus et hospitibus, cauponibus et stabulariis, quod res custodiantur extra hospitia, quod illi qui res illas ibi habuerint siue detulerint, soluant mercedem custodum secundum quod fuerint concordēs albergatores et caupones et stabularii cum illis qui res ibi habuerint. Et periculum ipsarum rerum vt supra semper pertineat et spectet stabulariis, albergatoribus et cauponibus.

CLX. De solutione debiti recipienda per creditorem.

Item statutum est, si aliquis debitor, siue fuerit decanus vel consul pro comuni alicuius loci, cuius decanus et consul est, siue aliqua alia persona, post terminum debiti venerit coram capitaneo vel eius vicario et pecuniam debitam creditori obtulerit presenti vel requisito paratus soluere, et creditor solutionem recipere recusauerit vel per eum creditorem steterit quod eam pecuniam non recipiat, teneatur capitaneus seu eius vicarius a quo hoc petitum fuerit, statuere creditori certam diem conuenientem pro qualitate persone et habitationis creditoris, infra quam creditor veniat cum omnibus cartis et scripturis suis ad ipsam solutionem recipendam; si venerit paratus arbitrio domini capitanei seu eius vicarii recipere solutionem et instrumenta reddere et alia que oportuerit fieri facere, bene erit; alioquin ab illa die statuta in antea non teneatur debitor creditori ad aliquas expensas nec interesse futuri temporis. Saluo eo quod si creditor postea ipsam pecuniam recipere paratus fuerit et per debitorem steterit, quod extunc postea teneatur debitor ad interesse et expensas sicut antea tenebatur.

CLXI. De modo tenendo per eum qui se voluerit spoliare.

Item statutum est, si aliquis voluerit se spoliare in aliquo, dicatur prius in conctione et postea ipsa spoliatio fiat in presentia capitanei vel eius vicarii; et si aliter facta fuerit, nichil valeat. Et quod spoliatio intelligatur, si aliquis vult omnia sua bona vendere, donare vel aliquo alio modo alienare vel alio modo transferre. Et iurare teneatur tam ille qui se spoliat quam ille cui fit illa spoliatio corporaliter ad sancta

Dei euangelia, quod ipsa spoliatio est vera et non fictitia nec simulata nec in fraudem alicuius confecta.

CLXII. De bonis prodigorum interdicendis.

Item statutum est, si aliquis comunitatis vallis Lugani et ripperie vtatur male substantia sua dissipando et vsurpando bona sua vel ea male gerendo, quod dominus capitaneus et¹⁾ eius vicarius, quibus vel cui fuerit denuntiatum vel significatum, quod aliquis male vtatur bona sua vsurpando et dissipando vel in malos vsus conuertendo, teneatur ad petitionem alicuius de parentibus suis de propinquis ex officio suo inquirere veritatem per testes et aliis modis quibus melius poterit et ei videbitur. Qua veritate reperta possit et debeat predictus dominus capitaneus et¹⁾ eius vicarius cui vel quibus denuntiatum vel significatum fuerit, interdicere bonis et administrationi bonorum suorum eidem. Qua interdictione facta non possit ille talis vendere nec alienare bona sua nec obligare nec aliquem alium contractum vel distractum facere; et si facta fuerit talis alienatio, obligatio vel contractus vel distractus, non valeat nec teneat. Et hoc teneatur capitaneus et eius vicarius facere a tempore denuntiationis seu significationis eis facte infra mensem vnum proximum sub debito iuramenti; que interdictio debeat durare tribus annis, et hoc statutum sit precisum.

CLXIII. De interdictione bonorum que non prosit bene agenti.

Item statutum est, vt aliquis cui interdicta fuerit administratio bonorum, post interdictionem factam, si officium comunitatis habuerit vel faciat bene negotia sua seu repertum fuerit et per publicam formam ostensum eum bene gerere negotia sua, postea non prosit ei interdictio facta nec obsit creditoribus seu illis personis cum quibus contraxerit.

CLXIII. De refutatione feudi non fienda.

Item statutum est, quod nulla refutatio nec aliquod damnum²⁾ aut inuestitura fiat de aliquo feudo, quod aliquo modo noceat creditoribus, et quod viuento vassallo non possit aliquo modo feudum ab eo discedere in damnum creditorum.

CLXV. Quod contractus receptus nomine alterius persone valeat.

Item statutum est, si aliqua carta alicuius contractus vel obligationis olim vsque hodie facta est et de cetero fiet

¹⁾ Be: vel.

²⁾ donum?

in manu alicuius recipientis ad partem vel nomine alterius, quod illa carta contractus et obligatio tantum valeat deinde et prosit illi ad cuius partem seu cuius nomine facta est vel recepta, ac si cartam vel contractum vel obligationem recipisset¹⁾, et inde ius sit ei in omnibus et per omnia acquisitum. Item si in aliquo instrumento alicuius contractus, quem aliquis ad partem vel nomine alterius receperit, contineatur illum qui ipsum contractum²⁾ receperit ad partem vel nomine alterius, pro illo contractu aliquid dedisse vel soluisse nomine illius ad cuius partem vel nomine ipsum contractum receperit, quod illa solutio facta intelligatur de denariis illius ad cuius partem et nomine illam cartam vel contractum receperit, ac si illam solutionem fecerit. Et predicta omnia locum habeant vel habere debeant in futuris et preteritis negotiis et factis.

CLXVI. Quod iura pupillorum retenta per tutores non prescribantur.

Item statutum est, si aliquis hactenus fuerit tutor alicuius vel curator, et ille tutor vel curator non reddiderit rationem illi cuius tutor vel curator fuit, seu alteri cui debuit nomine eius, et ille tutor vel curator in se habuerit vel in se habere debuerit et tenuit aliqua breuia, instrumenta vel condemnationes vel alia iura cuius tutor vel curator fuit, et non exegit a debitoribus contentis in ipsis instrumentis seu breuibus vel cartis et condemnationibus vel aliis iuribus, quod actiones ipsorum instrumentorum, breuium, cartarum et condemnationum seu iurium non sint perempte nec prescriptiones alique curse sint nec curse intelligantur, sed ipsi qui fuerunt sub tutela et cura et alie persone habentes causam ab eis possint agere et experiri contra quamcunque personam obligatam, ac si ipse prescriptiones et actiones non essent perempte nec curse; et hoc intelligatur de illis iuribus et obligationibus que remanserunt et remanere et esse debuerunt vel fuerunt et sunt penes ipsum tutorem et curatorem vel heredem eius a quadriginta annis citra tantum. Et capitaneus seu eius vicarius teneatur et debeat ius dicere et reddere contra obligatos.

CLXVII. De duobus inuentariis fiendis per tutores.

Item statutum est ad fraudem euitandam que solet³⁾ in magnum damnum minorum committi, quod tutores et cura-

¹⁾ B: ipsemet recepisset.

²⁾ B: ipsum instrumentum.

³⁾ Be: que sepe solet.

tores generales teneantur et debeant facere duo inuentaria de bonis et rebus ipsorum minorum, que inuentaria teneantur conficere et complere infra tres menses postquam fuerint constituti, vnum quorum inuentariorum et etiam instrumentum cure vel tutele teneantur infra quindicim dies post predictos tres menses consignare et dare procuratoribus comunitatis comitatus vallis Lugani et ripperie, et hoc sub debito iuramenti et sub pena et banno librarum decem terciolorum et plus et minus ad voluntatem capitanei pro qualitate personarum et delicti. Et si oppositum fuerit tutori vel curatori de dicto inuentario cum instrumento tutele vel cure non consignato, possit ipse tutor vel curator ab agendo vel defendendo pro suo minore repelli, quousque consignationem predictorum inuentarii et tutele seu cure fecerit. Et quod contra predictos tutores et curatores obseruentur iura comunia, et in causis minorum vltra penam predicti statuti.

CLXVIII. De fideiussore qui possit capere illum pro quo fideiussit.

Item statutum est, si aliquis fuerit fideiussor alicuius vel aliquorum in comunitate comitatus vallis Lugani, et ille fideiussor aliquid soluerit comunitati predictae pro illo pro quo fideiussit, possit et debeat et ei licitum sit capere personaliter et detinere illum seu illos pro quo seu quibus fideiussit, et eius et eorum heredes, post quindicim dies post solutionem factam, bona conuenire et eum seu eos detinere, donec eidem fideiussori plene fuerit satisfactum. Idem intelligatur et locum habeat in omnibus et per omnia cum debitoribus et fideiussoribus, si aliquis ipsorum aliquid soluerit comunitati predictae aliqua occasione. Et predicta fieri possint sine pena et vinculo banni, parabula tamen habita a capitaneo vel eius vicario. Quam parabulam dictus capitaneus seu eius vicarius dare teneatur soluentibus incontinenti, cum ipsi soluentes ostenderint se aliquid soluisse ipsi comunitati seu caneuariis¹⁾ ipsius comunitatis nomine ipsius. Et predicta locum habeant tam in solutionibus factis quam de cetero fiendis.

CLXVIII. De emancipatione non fienda.

Item statutum est, quod nulla emancipatio fiat nisi in presentia capitanei seu eius vicarii vel locumtenentis, et prius dicatur in publica conctione quam fiat. Et si aliter facta fuerit, nichil valeat nec noceat creditoribus. Et stetur asser-

¹⁾ Be und B: canepariis.

tioni notarii de ipsa publicatione, quamvis de ipsa non fuerit publicum instrumentum.¹⁾

CLXX. De emancipationibus scribendis in libro comunitatis.

Item statutum est, quod fiat vnus liber de cartis membranarum ad expensas comunitatis comitatus vallis Lugani et ripperie, qui stet in custodia procuratorum dicte comunitatis, in quo libro scribantur omnes emancipationes que de cetero fient, et que scriptura fiat per illum notarium qui tradiderit ipsam emancipationem, infra mensem vnum postquam tradiderit eam; in qua scriptura contineatur nomen tradentis et dies in qua posita fuerit in dicto libro, et aliter emancipatio facta non valeat.

CLXXI. De emancipatione minoris annorum XIII^{or} non fienda.

Item statutum est, quod nulla emancipatio fiat alicuius filii vel nepotis vel alicuius descendens, nisi ille vel illi, qui emancipatur vel emancipantur, habuerit vel habuerint quatuordicim annos completos. Et saluo quod si ille qui emancipatur sit fatuus vel prodigus, possit facere emancipationem etiam de illis qui sunt minores XIII^{or} annis arbitrio capitanei comitatus vallis Lugani et ripperie.

CLXXII. Quod emancipatio non possit probari nisi per cartam.

Item statutum est, quod de aliqua emancipatione et administratione bonorum, interdictione et bonorum cessione aliquo modo per testes probari non possit, sed tantum per cartam attestatam vel quaternos officii comunitatis vallis Lugani.

CLXXIII. De bonis Deo dicatis.

Item statutum est, quod res et bona cuiuslibet Deo dicata²⁾ et cuiuslibet persone qui vel que obligatur vel obligatus est ante Deo dicationem³⁾ et antequam iuerit ad ecclesiam, conueniantur et conueniri possint sub examine sub quo poterant tempore obligationis, et hoc intelligatur in illis rebus que fuerant ante Deo dicationem³⁾ seu antequam iuerit ad ecclesiam.

¹⁾ B und T fügen bei: apparente tamen tali quali scriptura.

²⁾ Be: Deo dicati.

³⁾ T: ante dedicationem.

CLXXIII. De ingredientibus domum regularem.

Item statutum est, quod si aliqua persona ingressa fuerit aliquam domum regularem et de cetero ingredietur vel aliter se Deo dicaret vel dedicata¹⁾ esset et professionem fecerit, nichil ipsa nec domus quam ingrediretur vel ingressa esset petere possit a parentibus vel fratribus vel sororibus vel ab agnatis suis vltra data vel promissa sibi pro receptione de ea facta. Et quod ei per capitaneum vel eius vicarium comunitatis vallis Lugani et ripperie non reddatur ius nec audiatur contra predicta. Et si certa quantitas non esset promissa vel data specialiter, quod non possit habere de hereditate et de bonis paternis nec maternis vltra libras ducentas terciolorum²⁾, et si vltra predictam hereditatem possideret vel teneret, quod heredes vel consortes masculi possint sua auctoritate sine aliquo banno vel pena ingredi possessionem et tenere predicta.

CLXXV. Quod filius obligatus cum patre teneatur etc.

Item statutum est, si quis filius fuerit cum patre obligatus vel condemnatus vel in futurum se obligabit, teneatur de obligatione et possit conueniri in solidum sicut pater, si ille filius fuerit maior annis quatuordicim.

CLXXVI. De terris que debent extimari ostendendis.

Item statutum est, quod consules cuiuslibet burgi, loci vel ville comunitatis vallis Lugani et ripperie teneantur ostendere terras que petuntur extimari, vel de quibus accipi vult possessio, sub pena librarum viginti quinque pro bargo, librarum decem pro villa et soldorum centum pro qualibet singulari persona, et quod idem in omnibus obseruetur et fiat, si aliquis dominus petierit terras suas sibi ostendi.

CLXXVII. De bonis consignandis in scriptis autenticis.

Item statutum est, quod quodlibet comune burgi, loci seu ville comunitatis vallis Lugani et ripperie et quilibet eius rec-

¹⁾ T: deodicata. Be: Deo dicata.

²⁾ B und T fügen bei: et minus arbitrio capitanei vel eius vicarii inspecta qualitate persone et facultate bonorum.

tor seu consul teneatur et debeat et compellatur per capitaneum dicte comunitatis vel eius vicarium ad petitionem cuiuslibet petentis sub penis et bannis arbitrio capitanei vel eius vicarii eligere quatuor aut plures homines de melioribus ex vicinis suis et antiquioribus et fide dignioribus ad ostendendum cuilibet petenti domos et terras cultas et incultas, vineas, prata, silvas et nemora in suo burgo vel loco vel territorio burgi vel loci existentes vel existentia vel site aut posite sunt seu vbi iacent, et ad ea in scripturam autenticam et publicam reducendum per coherentias et contratas, iuramento ab eis exacto de ipsis domibus, terris, pratis, silvis, vineis et nemoribus vt supra fideliter ostendendis, coherentiandis et in scripturam publicam et autenticam reducendis ei qui hoc fieri postularet per comunis syndicum ad hoc specialiter constitutum et constituendum, siue domus et terre fuerint eius qui petierit siue eius debitoris, aut ius aliquod haberet super eis. Que consignatio fiat ad expensas eius qui peteret, taxandas arbitrio capitanei vel eius vicarii.

CLXXVIII. De personis captis pro aliquo debito.

Item statutum est, quod si aliqua persona capta pro aliquo debito consignata fuerit per seruitorem comunitatis vallis Lugani et ripperie in manu alicuius rectoris vel officialis alicuius burgi vel loci nomine ipsius comunis et hominum, quod singulares persone ipsius burgi vel loci per fortiam cum seruitore dicte comunitatis et cum parabula capiendi per fortiam inde pro ipso debito data capi possint personaliter et realiter conueniri et depredari.

CLXXVIII. De personis capiendis occasione depositorum.

Item statutum est, quod de cetero pro contestamentis et depositis que de cetero fient penes comunia et singulares personas aliqua occasione, persone et comunia que tenerentur de ipsis contestamentis et depositis capi et detineri personaliter possint.

CLXXX. Quod consules teneantur ire cum seruitore.

Item statutum est, quod de cetero consules burgorum et locorum comitatus vallis Lugani et ripperie et eorum missi teneantur ire cum quolibet seruitore habente parabolam capiendi per fortiam ad petitum alicuius creditoris aliquem de-

bitorem vbique per territorium burgi et loci et per burgum et locum, vbi fuerit debitor qui capi voluerit, adeo quod possit debitor consignari pro capto per creditorem vel per seruitorem nomine creditoris consulibus vel eorum missis nomine comunis in cuius burgo vel loco vel eorum territorio debitor esset. Et hoc si petatum fuerit a creditore vel seruitore; et eum de predictis consulibus seu missis eorum, qui taliter ire cum creditore vel seruitore neglexerit et recusauerit, si de huiusmodi negligentia vel recusatione probatum fuerit per creditorem vel per seruitorem et per duos testes apud creditorem vel seruitorem, capitaneus comunitatis vallis Lugani condemnare teneatur de libris decem terciolorum soluendis predictae comunitati predicti comitatus, si hoc denuntiatum fuerit capitaneo a creditore vel seruitore.

CLXXXI. Quod seruator non possit robare sine consule.

Item statutum est, quod nullus seruator possit nec debeat robare aliquam personam in aliquo burgo seu loco dicte comunitatis, nisi prius facta notitia consuli dicti loci aut vni vel pluribus ex vicinis dicti loci in absentia dicti consulis, sub pena dicto seruatori librarum trium terciolorum qualibet vice. Et si oppositum fuerit de dicta notitia non facta vt supra, stetur relationi dicti seruatoris cum eius sacramento.¹⁾

CLXXXII. Quod potestas vel consul teneatur capere debitorem.

Item statutum est, quod quilibet potestas et consul burgorum et locorum comitatus vallis Lugani et ripperie et quilibet eorum missus ad petitionem cuiuslibet creditoris denuntiante seruitore aliquo comunitatis predicti comitatus habente secum parabulam capiendi aliquem debitorem per fortiam, teneatur capere debitorem quemlibet in aliqua domo, taberna vel hospicio existentem et etiam existentem extra domum, tabernam vel hospitium, in ea tamen existentem vicinum potestati vel consuli vel eorum misso, quod comode eum capere possit, videlicet quod debitor sit in burgo vel loco vel territorio burgi vel loci cui preesset pro potestate vel consule vel pro misso potestatis vel consulis. Et quod ille debitor habeatur pro capto et posito in manu illius potestatis vel consulis seu missi potestatis vel consulis, cui hoc denun-

¹⁾ B und T: stetur sacramento illius cui seruator retulerit fecisse notitiam.

tiatum fuerit per seruitorem nomine comunis burgi vel loci cui precesset predicto modo.

CLXXXIII. De quasi eodem.

Item statutum est, quod ille persone que de cetero consignarent pro suo comuni aliquem debitorem positum pro capto in manu sui comunis ad burgum Lugani creditori suo vel ad carceres pecuniarios ad petitionem creditoris, ad cuius petitionem positus fuerit in manu illius comunis, veniendo ad consignationem seu ad burgum Lugani affidate sint in personis et rebus ad diem etiam ultra quo¹⁾ venerint, similiter affidate sint ad quinque dies pro mora et reditu, ita quod veniendo ad burgum Lugani causa predictae consignationis, et infra predictos quinque dies more et reditus a nullo suo vel sui comunis creditore capi valeant nec realiter nec personaliter impediri.

CLXXXIII. De quasi eodem.

Item statutum est, quod huiusmodi consignationes debitorum captorum fiant ad expensas creditorum, ad quorum petitionem consignarentur debitores, taxatis tamen expensis huiusmodi arbitrio capitanei vel eius vicarii, saluo quod debitores teneantur resarcire ipsas expensas creditoribus, quemadmodum restituere tenentur expensas factas super credito, et pro illis expensis coueniri, capi et detineri possint debitores.

CLXXXV. De personis non contestandis in carceribus.

Item statutum est, quod illas personas que ad burgum Lugani suis creditoribus consignarentur, nemo contestare possit in carceribus vbi fuerint pro aliquo debito comunium personarum captarum. Et si aliqua contestatio fieret, non valeat nec teneat, sed sit cassa.

CLXXXVI. De persona conseruanda a suo comuni.

Item statutum est, quod si aliqua persona caperetur pro debito vel occasione debiti sui comunis, quod ipsum suum comune teneatur ipsam personam indemnem conseruare ab omnibus expensis quas pateretur occasione dicte captionis.

¹⁾ Be: ad diem tertium et ultra quem.

CLXXXVII. De carceratis pascendis.

Item statutum est, quod quilibet carceratus qui est vel erit in carceribus comunitatis vallis Lugani et ripperie, dum tamen non sit pro maleficio vel ex causa maleficii vel alia ratione ad petitum dicte comunitatis, debeat pasci expensis illorum vel illius cuius vel quorum nomine consignatus fuerit in carceribus, hoc modo videlicet de pane vno onziarum duodicim et quartino vno vini et imperialibus tribus pro companatico seu aliis expensis omni die. Et si ille vel illi ad cuius vel ad quorum petitionem consignatus fuerit in carceribus, recusauerit vel neglexerit ipsum carceratum pascere vt supra, quod ipse carceratus possit impune a carceribus relaxari.

CLXXXVIII: De personis captis non impediendis.

Item statutum est, quod nulla persona que de cetero capiatur pro aliquo debito vel causa pecuniaria, possit contestari vel impediri in carceribus pro aliquo debito comuni vel speciali vel aliqua alia ratione, nisi solum pro illo debito pro quo fuerit captus. Et quod illa die qua aliquis relaxatus fuerit de carceribus, ipse non possit capi nec personaliter impediri pro aliquo debito vel causa pecuniaria.

CLXXXVIII. De auferente per violentiam captum pro debito.

Item statutum est, si quis debitor a creditore suo vel eius misso vel a seruitore comunitatis comitatus vallis Lugani et ripperie per parabulam creditori datam captus fuerit in comitatu vallis Lugani et ripperie et ablatas fuerit vel auferri voluerit per modum violentum, et qui eum debitorem cepisset ille qui debitorem captum a captione huiusmodi euaserit per modum violentum vel per minas, intelligatur¹⁾ esse et sit debitor et ipso facto factus sit debitor creditoris de illo et pro illo debito pro quo captus stetisset debitor quem euasisset, et pro illo debito et pro illis actibus et processibus factis super illo credito contra debitorem²⁾ capi personaliter et predari et conueniri realiter possit per creditorem eo modo quo predari et capi possit debitor qui captus stetisset et captione liberatus modo iam dicto. Et nichilominus principalis debitor remaneat obligatus seu condemnatus et de

¹⁾ B: auferri voluerit, qui per violentiam vel per minas fecerit talem captum euadere, intelligatur. (T wie A.)

²⁾ B: primum debitorem. (T wie A.)

debito teneatur, saluo quod vno ipsorum debitorum soluente alius a debito sit liberatus.

CLXXX. De damno reficiendo per comunia.

Item statutum est, quod si aliquod damnum vel vastum datum vel factum fuerit de cetero alicui persone subdite et obediēti comunitati vallis Lugani et ripperie de die vel de nocte in aliquo burgo vel loco seu villa seu in territorio alicuius burgi, loci vel ville dicte comunitatis, quod damnum sit datum per incendium vel tronchationem seu incisionem vel dirupationem vel cauamentum vel extirpationem per aliquem vel aliquos qui tenuerint rem vastatam, incensam, taliatam, cauatam, extirpatam vel dirupatam, vel per aliquem de eius familia, vel cuius seu quorum non fuerit res illa propria, comune et homines tam nobiles quam vicini burgi, ville vel loci, in quo seu in cuius territorio datum fuerit vel factum hoc damnum, maiores quindicim annis et minores annis septuaginta teneantur restituere totum damnum cum expensis que fierent pro ipso damno petendo et habendo in pecunia numerata tantum ei vel eis qui damnum passi fuerint, et ipsius damni extimationem, diuidendo ipsam restitutionem et expensas inter se, medietatem pro here et medietatem pro personis super facultatibus eis factis ad caneam comunitatis suprascripte, in quibus essent tempore damni dati. Et hec nisi malefactorem vel malefactores consignauerint in fortia comunitatis comitatus suprascripti infra mensem vnum postquam capitaneo dicti comitatus¹⁾ seu eius vicario damnum manifestatum et de damno fides facta fuerit. Ita quod statim damno manifestato super hoc procedatur et cognoscatur summarie sine strepitu iudicii, et fiat ipsa cognitio omni die feriato et non feriato, causarum interdictis non obstantibus, per capitaneum vel eius vicarium ad voluntatem damnum passi. Et ita pro ipso damno seu restitutione ipsius damni et pro predictis expensis ipsa comunia et homines nobiles et vicini realiter et personaliter capi et detineri possint. Saluo quod si ille qui damnum passus fuerit, querimoniam de huiusmodi damno suo coram domino capitaneo vel eius vicario infra sex menses post damnum datum immediate cursos non fecerit, quod ei non prosit huiusmodi capituli vigor.

CLXXXI. De damno dato per collectionem fructuum restituendo.

Item statutum est, quod si quis amputauerit aliquam vel

¹⁾ Be: dicte communitatis.

aliquas arbores aut vites vel fructus alicuius arboris vel aliquarum arborum seu vitium colligerit, quas non possidisset is qui amputasset seu colligisset per annum vnum antea vel plus, non intelligatur esse in possessione terre super qua fuerint arbores amputate vel arbores fructuum collectorum, nec in possessione ipsorum arborum fructuum, sed restituere teneatur ei qui tronchatas arbores seu arbores collectorum fructuum possidebat anno quo tronchate forent et fructus collecti, damnum quod ex tronchatione vel collectione fructuum tolerasset, et ipsam restitutionem facere teneatur summarie et sine datione libelli. Et insuper puniatur de maleficio secundum statuta comunitatis vallis Lugani et ripperie. Et hoc nisi de terra super qua fuerant aut sunt arbores tronchate vel earum fructus collecti, seu de arboribus tronchatis et fructibus collectis venditionem habuerit vel ius intrandi vel colligendi, de qua venditione teneatur, si se defendere voluerit, fidem facere parti aduerse, alias non admittatur ad defensionem, sed puniatur.

CLXXXII. De onere non imponendo vltra solitum.

Item statutum est, quod nullum comune burgi, loci vel villê, comunantia, comunitas vel vniuersitas comitatus vallis Lugani et ripperie audeat nec presumat habere, ponere nec tenere super aliquibus rebus aliquod datium, pedagium, tolemeum¹⁾ vltra solitum, nec aliquod aliud onus vltra illud quod impositum est et imponeretur per comunitatem predicti comitatus, nec etiam vetare seu preceptum et bannum ponere inter vicinos suos, quin possint duci omnes et singule res cuiuscunque maneriei de eorum burgis, locis et territoriis absque solutione alicuius oneris quod imposuissent, et hoc sine licentia domini capitanei. Et si quod comune, comunitas vel vniuersitas contrafecerit, puniatur et condemnetur per comunitatem predictam in libris viginti quinque terciolorum qualibet vice. Et nichilominus datium et pedagium quod imposuisset nullius sit valoris et momenti.

CLXXXIII. De cessione²⁾ facta de instrumento falso.

Item statutum est, si quis cesserit iura et actiones alicui de aliquo instrumento, quod falsum reperiatur, quod totum id vnde fuerit condemnatus ille qui cessionem receperit ei

¹⁾ B: tholoneum. T: tholomeum.

²⁾ Ba: Verstossung.

restituatur per eum qui cesserit, et talem habeat regressum et tale ius contra illum qui cesserit, qualem et quale haberet comunitas vallis Lugani et ripperie, si ille qui cesserit fuerit condemnatus de ipso instrumento et pene prestatione.

CLXXXIII. Quod seruator non possit esse procurator.

Item statutum est, quod aliquis seruator non possit esse missus nec procurator nec accipere locum vel iura aliqua ab aliqua persona in aliqua causa.

CLXXXV. De cessione non accipienda a forense.

Item statutum est, quod nulla persona comunitatis Lugani et vallis et ripperie faciat sibi fieri aliquam cessionem vel aquirat locum seu cessionem de aliqua causa vel denariis vel decimis vel rebus vel domo vel terra, que teneatur vel possideatur per aliquam personam dicte comunitatis, et hoc ab aliqua persona que sit extra dictam comunitatem et que non sit de iurisdictione dicte comunitatis, nisi fuerit fideiussor qui aquirat a creditore, vel debitor qui aquirat contra debitorem consocium suum, qui teneatur in solidum contra aliquam personam vel locum dicte comunitatis et virtutis¹⁾ villo modo. Et si quis contra hoc fecerit, nullius sit momenti ipsa cessio seu loci positio, nisi fuerit ipsa cessio presente et volente debitore et possessore rei contra quem fit cessio, que voluntas et presentia probetur per cartam attestatam; vel nisi illos denarios soluerit per sententiam sine fraude, de quibus cessio sibi facta fuerit. Et si aliqua reperta fuerit, nichil valeat, sed cassa et inutilis sit. Sed salua sit illa cessio et actio ei qui eam dedisset, et ille contra quem facta fuerit ipsa cessio vel positio, non teneatur ei respondere nec secum in placitum stare, nisi ipsam cessionem adquisiuerit in defensione aliquarum rerum territoriarum quas possideat.

CLXXXVI. De non obligando se pro forensi.

Item statutum est, quod nulla persona comunitatis comitatus vallis Lugani et ripperie debeat se obligare de cetero debitorio vel fideiussorio nomine nec alio modo pro aliquibus personis seu persona nec pro aliquo comuni seu vniuersitate vel ecclesia seu collegio vel congregatione alterius iurisdictionis, et qui contra hoc fecerit et damnum substinuerit et habebit, comunitas predicta siue capitaneus dicte comunitatis

¹⁾ Be: districtus.

non teneatur ipsos seu ipsum adiuuare nec manutenere; saluo quod hoc statutum non habeat locum in casibus in quibus dicti forenses satisfacere tenentur in iudicio de stando iuri, iudicio sisti et iudicatum soluendo.

CLXXXVII. Quod qui soluit pro comuni animo accipiendi iura non audiatur.

Item statutum est, quod de cetero nullus qui soluerit ad caneam comunitatis Lugani et vallis et ripperie pro aliquo comuni vel vniuersitate vel singulari persona aliquid animo accipiendi iura et actiones contra aliquod comune, vniuersitatem vel singularem personam, audiatur nec agere nec exigere possit, nisi prius ostenderit debitum et causam debiti quod soluerit, et nisi primo cessionem a comunitate habuerit vel confessionem ostenderit de debito soluto, nisi fideiussor fuerit debiti vel condemnationis.

CLXXXVIII. De pena cedentis iura diuersis personis.

Item statutum est, quod si aliqua persona pure cesserit vel datum et venditionem et cessionem seu donationem fecerit de aliquibus creditis et iuribus et rebus mobilibus et immobilibus diuersis personis diuersis temporibus, puniatur per capitaneum comitatus comunitatis vallis Lugani et ripperie de libris vigentiquinque terciolorum in qualibet vice. Insuper teneatur ad restitutionem pretii faciendam secundo emptori seu cui secunda cessio vel donatio facta fuerit, cum damnis, expensis et interesse, et in pecunia numerata, ita quod de eis¹⁾ possit capi et detineri; et secunda venditio vel cessio nulla sit in preiudicium primi emptoris seu illius cui prima cessio vel donatio facta fuerit. Et hoc sine datione libelli et strepitu iudicii.

CLXXXVIII. De sacramento prestando per cedentem et cessionarium.

Item statutum est, quod in cessionibus que de cetero fient titulo oneroso teneantur iurare cedens et cessionarius corporaliter²⁾ manibus tactis scripturis in dictis instrumentis cessionum quod cessio est vera et iusta et non fictitia nec simulata nec in fraudem alicuius facta. Et quod vere et in veritate recepit pretium appositum vel apponendum in dictis

¹⁾ Be: pro eis.

²⁾ Be: ad sancta Dei euangelia.

instrumentis vel rem equipollentem dicto pretio sine spe rehabendi dictum pretium per se nec per submissam personam in toto nec in parte. Et si aliter factum fuerit tale instrumentum cessionis, non valeat nec teneat, etiam si traditum fuerit extra iurisdictionem dicte comunitatis.

CC. De questionibus cessionum comunis summarie cognoscendis.

Item statutum est, quod per dominum capitaneum et eius vicarium ius reddi debeat qualibet die feriata et non feriata summarie sine datione libelli de questionibus eorum de quibus cessio facta fuerit per comunitatem vallis Lugani et ripperie.

CCI. De expensis restituendis per victum victori.

Item statutum est, quod victus victori in questione¹⁾ in qua de cetero condemnatus fuerit, seu de cuius expensis fuerit condemnatus, non audiatur post condemnationem de ipsis expensis et taxationem factam, nisi expensas soluerit de quibus fuerit condemnatus. Salvo si capitaneo vel eius vicario videbitur vtramque partem habuisse iustam causam litigandi, quod possit vtramque partem ab expensis absoluere, et illud expresse dicat in sententia.

CCII. De expensis taxandis secundum partem obtentam..

Item statutum est, si aliquis petierit aliquid in aliquo libello petitione seu declaratione et in illa causa obtinuerit, quod expense taxentur tantum pro ea parte pro qua obtinuerit, et ratio aliarum expensarum tam actoris quam rei sit extincta et non habeatur, salvo si reus ante litis contestationem et in contestatione vel in positionibus confiteatur debitum de quo fuerit iudicatum, quod tunc et eo casu reus absoluatur ab omnibus expensis, et actor condemnetur reo in expensis factis per eum pro ea parte pro qua reus fuerit absolutus.

CCIII. De oneribus substinendis per forenses.

Item statutum est, quod si aliquis qui sit oriundus aliene iurisdictionis iuerit ad standum cum familia in burgis vel locis comitatus vallis Lugani et ripperie, teneatur subire omnia fodra et alia onera et conditia in eo loco in quo morabitur, sicut vicinus dicti burgi vel loci.

¹⁾ B und T. victori condemnetur in expensis, et quod in questione.

CCIII. De retentione rei pro expensis factis in ea.

Item statutum est, si aliqua persona aliquo iusto titulo tenuerit aliquam rem immobilem et super solo fecerit aliqua hedificia seu in ipsa plantauerit, et ille qui tenuerit victus fuerit ad ipsum solum et hedificium restituendum, habeat retentionem ipsius rei pro expensis factis in hedificiis et plantatione vtili et necessaria, nulla compensatione ei fienda de fructibus et pensionibus receptis ex ipso hedificio seu plantatione.

CCV. De termino dando debitoribus comunitatis.

Item statutum est, quod capitaneus seu eius vicarius vel officialis comunitatis comitatus vallis Lugani et ripperie, qui preefuerit officio exigendi vel ad exigendum ea que debentur comunitati predictae, teneantur dare vnam dilationem decem dierum debitoribus eiusdem comunitatis habendi solutum comunitati predictae quicquid eiusdem comunitatis sunt debitores vel soluere eidem comunitati teneantur et debeant. Qua dilatione dierum decem elapsa, si per debitores eiusdem comunitatis non fuerit solutio facta comunitati predictae, seruetur hoc statutum tam contra fideiussores debitorum quam contra debitores. Et quod si oportuerit fideiussores pro debitoribus soluere comunitati predictae debita debitorum, quod contra debitores et eorum bona per comunitatem predictam eis fideiussoribus qui solutionem huiusmodi fecissent, cessio detur pro quantitate quam fideiussores soluissent pro debitoribus. Et hoc statutum habeat locum, si terminus petitus fuisset a debitore vel fideiussore.

CCVI. De sacramento prestando per notarium.

Item statutum est, quod omnes notarii comunitatis comitatus vallis Lugani et ripperie teneantur et debeant per sacramentum antequam tradant instrumenta et cartas scribere nomina et cognomina contrahentium et fideiussorum eorum et nomina patrum suorum et quantitatem pecunie et rei et pretium et pacta et conuentiones que fient inter partes et que poni debeant in instrumentis et cartis, et nomina notariorum et testium¹⁾ et patrum suorum qui rogati fuerunt in ipsa traditione. Saluo quod si essent tres petie terrarum vel tres domus ab ipsa quantitate supra, possint tradare sine imbreuiatione terrarum, domorum et rerum territoriarum arbitrio partium.

¹⁾ B: nomina debitorum et testium et notariorum.

CCVII. Quod notarius teneatur in eius subscriptione ponere nomen etc.

Item statutum est, quod quilibet notarius comunitatis vallis Lugani et ripperie in quolibet instrumento et in quolibet carta et condemnatione, quod et quam expleuerit vel eius rogatu expleri fecerit, teneatur et debeat in sua subscriptione ponere nomen et cognomen eius et patris sui, aliter instrumentum per eum factum et traditum, quod reperietur subscriptum sine nomine vel cognomine eius vel patris sui, nullius sit valoris et momenti, et vltra notarius ille teneatur ad damna et interesse dicti instrumenti.

CCVIII. Quod nullus presbiter possit tradare cartas.

Item statutum est, quod nullus presbiter ab hodie in antea possit facere nec tradare cartas nec breuia nec alia instrumenta publica autenticata. Et si qua fecerit, cassa et inutilia sint, ita quod per illa instrumenta nichil possit probari, contractibus tamen in suo robore remanentibus, si aliter probare possint ipsi contrahentes quam per illa instrumenta.

CCVIII. Quod interrogationes et acta imbreuientur in quaternis.

Item statutum est, quod instrumenta, acta et scripture per notarios officii notarie predictae comunitatis, qui eas et ea confecerint, primo in quaternis imbreuientur, antequam expleantur vel fiant aliquae scripture autentice, videlicet omnes interrogationes et requisita¹⁾ que fiunt siue ante litem contestatam siue post, vtrum sit heres, et an possideat rem aliquam que petitur, et omnes alie interrogationes et responsiones que deinde fieri possunt ante litem contestatam.

CCX. (sine rubrica.)

Item omnes nominationes que fiunt in causa, cum quis nominat dominum vel dominos in iudicio de re que petitur, et ipsarum nominationum receptiones et protestationes que fiunt in iudicio, et cum quis protestatur quod tenet et possidet rem que petitur.

Item omnes contestationes litium, in quibus inserant tenores libellorum vel saltem prout actor eligerit subscribat notarius qui ipsam protestationem²⁾ facere debuerit, in libello,

¹⁾ Be und B: responsiones.

²⁾ B: contestationem.

de huiusmodi subscriptione in litis contestatione mentionem faciendo super libello vno per me notarium subscripto; qui libellus debeat authenticari per ipsum notarium qui ipsam contestationem fecerit.

Item omnes positiones et earum responsiones et confessiones.

Item omnes satisfactiones et cautiones que in iudicio prestantur tam de domibus et terris non baratandis quam aliis modis.

Item omnes sententie tam diffinitive quam interlocutorie.

Item omnes appellatorii libelli et etiam omnes appellationes que fiunt viva voce.

Item omnes termini probandi tam per testes quam per instrumenta vel ipsorum denegationes¹⁾, qui dantur actori vel reo.

Item omnes possessiones decretales tam in personali quam in reali actione.

Item omnes parabule que dantur et conceduntur per dominum capitaneum seu eius vicarium de affidantiis seu affidamentis personarum et rerum.

Item omnes parabule arbitrorum.

Item omnes condemnationes que fiunt per confessionem. Et predicta omnia obseruentur.²⁾

CCXI. De instrumentis imbreuiandis in quaternis.

Item quod omnia infrascripta instrumenta in quaternis imbreuientur, videlicet instrumenta sindicatus, procurationis, tutele, cure, actorie, inuentariorum et denuntiationum, que fierent ab aliquo qui vellet facere extimari de bonis alicuius debitoris sui. Et hoc teneantur facere notarii qui predicta instrumenta tradiderunt et ea non imbreuiauerunt, sub pena soldorum viginti³⁾ terciolorum qualibet vice et plus et minus ad voluntatem capitanei pro qualitate facti, et quilibet possit accusare. Et nichilominus teneantur predicta imbreuiare.

¹⁾ Be: rogationes.

²⁾ B und T fügen bei: Item omnia precepta contradictoria que fiunt contra debitores, vt veniant facere rationem.

Item omnes parabole dicta occasione concesse.

Item omnes relationes introituum et robariarum.

Item omnia denuntiamenta cuiuslibet generis et materie.

³⁾ B und T: pena librarum quinque.

CCXII. De scripturis non imbreuiatis in quaternis.

Item quod licet predictus notarius non imbreuiauerit predicta in quaternis ob negligentiam vel culpam, quod nichilominus ipse scripture valeant et teneant, et notarius qui contrafecerit subiaceat nichilominus predictis penis.

CCXIII. De predictis actitatis transscribendis.

Item predicta omnia actitata et condemnationes possint transscribi ex imbreuiaturis factis per notarios et eorum legitimos substitutos et per quoscunque notarios, dum ipsa actitata et ipse condemnationes subscribantur per officiales qui ipsam imbreuiaturam fecerint, vel per substitutos loco eorum. Et illa acta que transcripta fuerint per alios notarios quam per officiales, subscripta per illos officiales eiusdem sint valoris et efficacie ac si scripta essent per predictos officiales.

CCXIII. De condemnationibus ponendis in quaternis.

Item statutum est, quod omnes condemnationes que de cetero fient in concordia partium ascendentes a soldis viginti terciolorum supra per notarium qui eas scribet, in quaternis ponantur, et hoc sub pena soldorum viginti terciolorum pro qualibet vice qua ipse notarius contrafecerit; de qua accipere possit soldos quatuor terciolorum, si expleuerit in publicam formam, et non vltra. Et duo testes ad minus in ea condemnatione ponantur.

CCXV. De actione furti aqvisita non habente virtutem.

Item statutum est, si quis actionem furti vel alicuius maleficii ab aliqua persona aqvisiuerit, non habeat virtutem vti ipsa actione contra aliquam personam, nec ille qui conuenitur teneatur ei respondere.

CCXVI. De restitutione non petenda per maiorem annis XXV.

Item statutum est, quod aliquis maior annis viginti-quinque non possit petere restitutionem, postquam dixerit se velle esse heredem.

CCXVII. De non adhibendo fidem instrumentis rogatis per bannitum.

Item statutum est, quod omnia instrumenta ad artem notarie pertinentia facta per aliquem notarium qui sit bannitus pro malesardia seu pro malefactore comunitatis comitatus

vallis Lugani et ripperie vel de maleficio pro quo ingeratur pena sanguinis, a die citra quo bannum receperit de maleficia vel de maleficio predicto a comunitate suprascripta, et que de cetero fient ante exitum banni alicui persone comunitatis predictae, nullum iudicium¹⁾ faciant nec facere possint, nec eis instrumentis per capitaneum dicte comunitatis nec eius vicarium fides adhibeatur in iudicio nec extra.

CCXVIII. De alienationibus rerum immobilium non preiudicantibus etc.

Item statutum est, quod omnes venditiones et alienationes que ab hodie in antea fient nec facte fuerint per aliquam vel aliquas personas burgorum vel locorum comunitatis vallis Lugani et ripperie de aliquibus domibus, terris vel aliis rebus immobilibus, nullum preiudicium faciant comunibus eorum qui vendiderint seu alienauerint dictas domos vel terras vel res, sed res alienate seu vendite obligate remaneant pro portionibus venditores et alienatores tangentibus de debitis, oneribus et conditiis nunc imminentibus et que de cetero imminerent eis comunibus, et hoc donec presentes comunium dicti comitatus durabunt facultates. Et hoc nisi venditiones seu alienationes facte fuerint in solutionem et per solutionem debitorum ipsorum venditorum seu alienatorum. Que quidem venditiones seu alienationes de cetero fieri debeant in presentia capitanei vel eius vicarii de debitis quorum occasione venditio vel alienatio fieri voluerit, primitus facta fide, et si aliter venditio vel alienatio facta fuerit, non valeat.

CCXVIII. De personis capiendis pro pedagiis.

Item statutum est, quod pro pedagiis et aliis rebus venditis vel cessis per comunitatem Lugani et vallis ac ripperie comunia et homines ac singulares persone qualibet die feriata et non feriata capi possint cum seruitoribus comunitatis, data prius parabula capiendi per capitaneum seu eius vicarium. Et quod de ipsis debeant cognoscere non obstantibus aliquibus feriis nec interdictis causarum summarie et sine datione libelli.

CCXX. Quod leges seruentur vbi statuta deficient.²⁾

Item statutum est, quod capitaneus et eius vicarius et officiales teneantur seruare statuta comunitatis Lugani et

¹⁾ Be: indicium.

²⁾ Dieses Capitel steht in B und T am Schlusse der statuta civilia als cap. 284, in Be an beiden Orten.

vallis et ripperie in causis ciuilibus quo ad partes et inter partes, et criminalibus et aliis, et deficientibus statutis et consuetudinibus comunitatis predictae seruent et seruare debeant leges et iura comunia.¹⁾

CCXXI. De pena personarum non positarum in facultate.²⁾

Item statutum est, quod quelibet persona habitans in comunitate comitatus vallis Lugani et ripperie, vndecunque sit, que non sit in facultate predictae comunitatis posita, consignet et faciat describi nomen et cognomen et contratum in qua habitat, et faciat se scribi quod non est in facultate et quod vult quod ei ponatur facultas per comunitatem predictam. Et qui hoc fecerit seu predicta non obseruauerit, subiaceat infrascriptis penis, videlicet quod non fiat ratio seu quod ius ei non reddatur scilicet in agendo. Et facta ipsa facultate teneatur postea soluere fodra comunitatis vallis Lugani et ripperie que imponentur. Saluo quod non obseruetur contra miserabiles personas.

CCXXII. Quod summarie cognoscatur de questionibus mercedum etc.

Item statutum est, quod de cetero de questionibus mercedum,³⁾ salariorum et vicinantiarum summarie cognoscatur sine datione libelli et strepitu iudiciorum quolibet die feriato et non feriato. Et quod quelibet persona inde personaliter capi possit et realiter conueniri.

CCXXIII. De scriptura negotiatoris publici.

Item statutum est, quod quicumque campsor seu negotiator publicus in libro suo vel alieno manu sua propria scripserit se debitorem vel dare debere alicui persone aliquam quantitatem pecunie, auri vel argenti vel alicuius alterius rei, intelligatur personaliter et realiter obligatus, et eius bona intelligantur obligata et ypotecata ei cuius debitorem se esse scripserit in alieno libro vel suo, membrana seu papiro sua manu, dum tamen propter hoc non fiat preiudicium aliquibus creditoribus vel aliis possidentibus vel habentibus de bonis eius. Et quod hoc statutum locum habeat in qualibet persona,

¹⁾ B und T fügen bei: Que statuta intelligi debeant et intelligantur ad litteram prout iacent. Be hat diesen Zusatz bloss im cap. 284.

²⁾ Ba: so nit gesetzt sind in die Stüwr der Landschaft.

³⁾ Ba: Lidlohn.

siue sit campsor siue negotiator siue alterius conditionis, que sua manu scripserit in suo vel alieno libro, vel in cedula vel in cedulae carte vel papiri, se esse debitorem vel dare debere vt supra in hoc statuto continetur, et quod de hoc summarie et de plano cognoscatur absque patrocinio aduocatorum et strepitu iudiciorum et sine figura iudicii et omni die feriato et non feriato et interdicto, et eodem modo teneantur socii eius mercantie, non obstante aliquo iure comuni vel speciali. Quod quidem seruetur in omnibus scripturis factis et in omnibus causis presentibus et futuris; et quod illi qui scripserint vel subscripserint vel consignauerint se fore debitores vel dare debere vt supra, omni die et tempore feriato et non feriato possint capi et personaliter detineri, et quod ille qui subscripserit intelligatur scripsisse. Et quod quilibet qui scripserit vel subscripserit vel consignauerit et quilibet socius mercantie in omnibus scripturis que de cetero fient teneantur in solidum, et realiter et personaliter conueniri et capi possint in solidum, nisi aliter actum fuerit. Et quod si reperiretur in quaterno seu quaternis alicuius camporis, negotiatoris vel alterius persone, aliquam personam habere¹⁾ debere vel alio modo se debitorem esse, quod illa scriptura intelligatur scripta manu illius persone cuius est quaternus, et illi scripture adhibeatur fides contra illam personam cuius est quaternus, et eius socios, si socium habuerit, nisi fuerit canzellata. Et quod si in scriptura aliqua contineatur aliquam personam habere debere, perinde habeatur ac si in ipsa scriptura contineretur se esse debitorem in solidum. Et idem per omnia intelligatur et sit de illo et de illis qui se subscripserint seu subscripserint in ipsa scriptura.

CCXXIII. De aquis mortuis²⁾ capiendis.

Item statutum est, quod super aquis mortuis que currunt tantum tempore pluuiarum per vias et stratas publicas ille qui superior est, scilicet qui habeat domum vel terram iuxta ipsam viam, possit ipsam aquam capere et super suo deducere, non obstante contradictione inferioris vicini et aliorum, et inferior vicinus non possit impedire superiorem vicinum, quin capiat et capere possit ipsam aquam pluuialem, nisi inferior vicinus habuerit cartam aqvisiti de ipsa aqua pluuiali, vel sententia seu pactum factum sit, quod inferior vicinus habeat ipsam aquam seu terra que esset inferior ex pacto recipere

¹⁾ Be: dare.

²⁾ Ba: Regenbäch.

possit ipsam aquam pluuialem ex pacto habito cum superiori proximo vicino.

CCXXV. De oneribus substinendis per habitantes in valle Lugani.

Item statutum est, quod quilibet habitans in valle Lugani et ripperia teneatur et debeat soluere et substinere omnia fodra, onera et conditia realia et personalia, que de cetero imponentur super extimationibus seu facultatibus faciendis cum comunibus et hominibus vbi stabant tempore facultatum.

CCXXVI. De oneribus substinendis vbi laborantur terre.

Item statutum est, quod quicumque non fuerit capitaneus vel valuator vel non habuerit preuilegium ciuilitatis et steterit seu staret in aliquo burgo vel villa comitatus vallis Lugani et ripperie cum familia sua vel parte¹⁾ familie seu tenuerit partem¹⁾ familie sue in ipso burgo seu villa per aliud tempus quam per tempora messium laborando ibi terras ad suas manus, quod teneatur ibi soluere et substinere fodra, onera, conditia cum comuni et hominibus ipsius burgi seu ville tanquam burgensis ipsius burgi seu vicinus ipsius ville. Saluo si foret burgensis alterius burgi vel vicinus alterius ville et solueret cum aliquo alio burgo vel villa dicti comitatus.

CCXXVII. Quod stetur maiori facultati facultatum scriptarum ad caneum comunitatis.

Item statutum est, quod si aliquis fuerit in pluribus facultatibus ad caneum comunitatis vallis Lugani et ripperie, quod stetur maiori facultati illius et alie canzellentur.

CCXXVIII. De partito dando in rebus diuidendis.

Item statutum est, quod in causis que nascuntur occasione diuisionis alicuius rei, que comode diuisionem recipere non possit, is qui diuisionem postularet fieri, teneatur extimationem rei illius facere et partitum dare ei cui diuisio displiceret, videlicet quod is cui datum erit partitum, teneatur vel totam rem sibi accipere extimationis portionem dando alteri parti siue pro medietate siue pro tertia parte, prout

¹⁾ Die Handschr. A hat hier offenbar unrichtig patre und patrem. Richtig in Be.

eum de re ipsa contingeret, vel alteri parti rem dimittere accipiendo ratam extimationis portionem ab eo seu ab eis, cui vel quibus suam rei portionem relinquerit; et in causis procedatur sine datione libelli et summarie, et sententie que in huiusmodi causis prolata fuerint, valeant non obstante quod lis non extiterit contestata.

CCXXVIII. De questionibus diuisionum
cognoscendis.

Item statutum est, quod in questionibus et causis que nascuntur occasione diuisionis faciende seu que petatur fieri de rebus comunibus mobilibus et immobilibus, non debeat dari libellus. Et quod de illis questionibus et causis possit et debeat cognosci temporibus et diebus quibus cognoscitur et potest cognosci de testamentis mercedibus et salariis. Et quod sententie que in huiusmodi causis prolata fuerint, valeant non obstante quod lis non extiterit contestata.

CCXXX. De arbitris assumendis in questionibus parentum.

Item statutum est, quod si aliqua questio, lis vel controuersia de cetero fuerit inter patrem et filium, auiam et nepotem¹⁾, fratrem et sororem, consanguineum et consanguineum, patrum, auunculum et nepotem vel alias quascunque personas vsque ad tertium gradum coniunctas, quod ad petitionem vnus ipsarum partium vel ambarum capitaneus presens et qui pro temporibus fuerit teneatur et debeat assumere tres arbitros prout sibi videbitur, qui sub debito sacramenti per eos prestandi dictam questionem, litem seu controuersiam determinent, diffiniant et dicidant sine datione libelli et sine quocunque alio ordine iudiciario infra menses tres postquam assumpti fuerint.²⁾ Et quod illud quod ipsi tres vel duo ipsorum pronuntiauerint, diffiniuerint et arbitrati fuerint, seruetur et seruari debeat, ita quod perpetuo non possit dici male nec inique pronuntiatum vel diffinitum. Et si predicti arbitri assumpti vt superius est expressum dictam questionem sibi commissam non diffiniuerint et non determinauerint infra terminum suprascriptum, quod puniantur per capitaneum predictum in libris viginti quinque terciolorum pro quolibet eorum.

¹⁾ Be: ablaticum.

²⁾ B und T fügen bei: et minus arbitrio domini capitanei seu eius vicarii inspecta qualitate facti et conditione personarum.

CCXXXI. Quod arbitramenta non possint dici
iniqua.

Item statutum est, quod postquam facta fuerint precepta¹⁾ et arbitramenta inter ascendentem vel descendentem vel agnatos vel cognatos vel affines vel vicinos, ulterius non possint dici iniqua nec ab eis possit appellari, querelari nec supplicari nec nulla dici, sed elapso termino seu terminis contentis in preceptis et arbitramentis vel elapso mense, si terminus non fuerit in eis appositus, debeant executioni mandari omnibus iuris remediis.

CCXXXII. De eodem.

Item statutum est, quod si aliqua compromissa facta fuerint, in quibus contineatur esse renuntiatum arbitramenta non posse dici iniqua nec reducenda ad arbitrium alterius boni viri, vel verba similia, quod arbitramenta que eis subsequuntur non possint postea dici iniqua nec esse reducenda ad arbitrium alicuius alterius boni viri nec esse nulla nec ab eis possit appellari, sed incontinenti debeant executioni mandari summarie et omni die sine strepitu iudicii et sine aliqua exceptione iuris et facti.

CCXXXIII. Quod dominium rei presumatur
possidentis.

Item statutum est, si aliquis tenuit et possedit seu teneat et possideat aliquas res immobiles, quod presumatur dominium rei seu rerum possessarum et tentarum fuisse vel esse penes eum, nisi ostendatur contrarium per probationes legitimas, salvo quod per hoc statutum nullum ius aquiratur massariis in rebus quas tenerent ad fictum vel ad medium per inuestituram vel sine inuestitura.

CCXXXIII. De retro datis fiendis non obstante
preteritione.

Item statutum est, quod omnes venditiones hinc retro facte et que de cetero fient sub pacto luendi, dum de pacto possit doceri et doceatur, quod ille cui factum est seu heres eius vel habentes causam seu ius ab eo possint et eis liceat et ante terminum venditionis et post et omni die quo sibi placuerit post celebratam venditionem exigere et recuperare res venditas, soluendo pretium emptionis et ficta vel redditus

¹⁾ Be: preconizamenta.

dictarum rerum preterita vel remansa, si venditor vel heres eius tenuerit res venditas, dum tamen ficta vel redditus dictarum rerum non transscendant vltra soldos duos terciolorum pro libra eius quod fuerit pretium dictarum rerum. Et hoc non obstante quod tempus exigendi sit lapsum. Et si fructus seu ficta et redditus excedant vltra ad computum soldorum duorum terciolorum pro libra abinde supra, dicti fructus et ficta percepta per emptores debeant computari primo in fictis et postea in pretio, et pro¹⁾ rata pretii soluta diminuuntur ficta. Et pretio et fictis solutis vt supra teneantur emptores secundum formam pacti facere retrodatum et retrouenditionem, et hoc summarie et sine datione libelli.

CCXXXV. De accessu designando terris.

Item statutum est, quod cuilibet terre non habenti accessium debeat assignari accessium ab illa parte qua est minus damnum et velocius ad stratam.

CCXXXVI. De accessu non aquirendo super terris siluatis.

Item statutum est, quod super terris siluatis vel zerbuis²⁾ non possit aquiri aliquod accessium per aliquam terram, si aliunde possit haberi accessium facilius et velocius prope stratam.

CCXXXVII. Quod non fiat aliqua scriptura priuata.

Item statutum est, quod non fiat nec fieri debeat nec possit aliqua apodix³⁾ seu aliqua scriptura priuata continens vicem appodicis³⁾, et si fiat vel fieri contingerit, ex ea aliquod ius alicui non aquiratur nec ex ea agi possit.

CCXXXVIII. Quod quelibet persona possit conueniri in solidum ex obligatione vicinantie.

Item statutum est, quod quandocunque ex quacunque causa comune alicuius burgi, loci vel ville, comunitas, vicinancia vel vniuersitas obligatum seu obligata fuerit vel teneatur, quod illa obligatione quelibet persona dicti comunis, vicinantie, comunitatis vel vniuersitatis teneatur et inde pos-

¹⁾ Die Handschrift A hat irrthümlich: quod.

²⁾ Ba: uf die Kestenwälder oder uf die öde ungebauwete Gieter.

³⁾ B: apocha, apoce. T: apodixe.

sit in solidum conueniri in persona et in rebus absque beneficio diuisionis, ac si nominatim esset posita in obligatione.

CCXXXVIII. De salario commissariorum.

Item statutum est, quod quilibet commissarius cui commissa fuerit aliqua questio consulenda, debeat habere pro eius salario denarios duodicim pro qualibet libra eius quod peteretur a libris quinquegenta terciolorum infra, et a libris quinquegenta terciolorum supra vsque ad libras centum denarios decem pro libra, et a libris centum vsque ad libras quingentas terciolorum denarios sex pro libra, et a libris quingentis terciolorum supra, cuiuscunque quantitatis sit, denarios quatuor pro libra. Et hoc ab ambabus partibus tantum et minus arbitrio committentis, si quantitas fuerit maxima. De interlocutoriis vero arbitrio iudicentis salarium taxetur sub debito sacramenti per ipsum iudicem vel consulem prestiti. De diffinitiuis vero ciuilibus, vbi quantitas non exprimitur in petitione actoris, si fuerit res mobilis vel immobilis vel aliquod aliud ius, quod eo casu secundum extimationem valoris rei vel iuris habeat salarium secundum taxationem predictam. Et quod de valore et extimatione rei vel iuris stetur sacramento actoris et rei. Et si essent in disconcordia, quod stetur extimationi extimatorum comunitatis Lugani et vallis et ripperie. Et quod in commissionibus scribatur salarium commissarii. Et si partes fuerint in concordia infra secundam diem post commissionem, habeat consiliarius tantum soldos quinque terciolorum de salario sibi taxato, de quibus quelibet pars soluat suam partem. Et si vna partium infra illam secundam diem reliquerit questionem, habeat consiliarius tantum soldos quinque terciolorum ab ea parte que reliquerit. Et quod consiliarius non debeat aliquid accipere ab aliqua ipsarum partium vltra salarium taxatum seu quod taxari debeat, et teneatur ille consiliarius questionem principalem seu diffinitiuam vel interlocutoriam que ei commissa fuerit diffinire infra tempus commissionis et victum victori in expensis condemnare et consilium suum iudicenti infra terminum commissionis in scriptis dare. Et si quis commissarius contrafecerit, puniatur in denariis duodicim pro quolibet denario quem receperit contra vel vltra formam huius statuti.

CCXL. Quantum habere debet notarius comunitatis de scripturis.

Item statutum est, quod notarii et officiales notarie comunitatis comitatus vallis Lugani et ripperie non possint nec

debeant nec presumant accipere de infrascriptis instrumentis et scripturis et actis vltra pretia infrascripta sub pena infrascripta, videlicet:

Imprimis de quolibet precepto dandi et soluendi cum guarentamento soldum vnum terciolorum computato exemplo, et sine exemplo si actor voluerit exemplare imperiales quatuor terciolorum.

Item de banno posito in quaterno imperiales tres.

Item de exemplo ipsius banni imperiales tres.

Item de parabula robandi simplici imperiales sex.

Item de guarentamento robarie vel captionis vetite soldum vnum terciolorum.¹⁾

Item de ponendo bannum ipsius robarie vel captionis imperiales tres.

Item de exemplo ipsius banni robarie vel captionis imperiales tres.

Item de parabula robandi per fortiam imperiales nouem.

Item de guarentamento robarie vel captionis per fortiam imperiales sex.

Item de guarentamento veteri imperiales sex.

Item de precepto fiendo vt res vel persone capte consignentur cum guarentamento imperiales octo.

Item de banno dando ipsa occasione ad ponendum in quaterno imperiales tres.

Item de exemplo dicti banni imperiales tres.

Item de parabula robandi per fortiam contra illos qui recusauerint consignare robarias vel captiones positas in eorum manibus, si fuerit contra comune, imperiales duodicim, et si fuerit contra diuisum, imperiales nouem.

Item de quolibet contestamento fructuum et aliarum rerum penes aliquod comune vel singularem personam cum guarentamento computato exemplo soldos duos et sine exemplo imperiales octo.

Item de precepto consignationum ipsorum fructuum et rerum cum guarentamento et computato exemplo soldos duos et sine exemplo imperiales octo.

Item de ponendo bannum in quaterno imperiales tres.

Item de exemplo dicti banni imperiales tres.

Item de qualibet parabula per fortiam danda occasione dictorum contestamentorum, si fuerit contra comune, soldos duos, et contra diuisum imperiales nouem.

Item de quolibet preconizamento pro qualibet lista pa-

¹⁾ Be: vetite imperiales sex.

piri soldos duos pro autentiquo et pro exemplo si exemplatum fuerit per ipsos notarios soldum vnum pro lista papiri.

Item de firmamento preconizamenti soldum vnum.

Item de qualibet possessione decretali soldos duos.

Item de quolibet guarentamento introitus possessionis vsque ad tres res coherentiatas pro imbreuiando soldos duos terciolorum et ab inde supra pro rata parte scripture, et si exemplauerint¹⁾, ad computum soldorum duorum terciolorum pro qualibet lista papiri, computatis denariis receptis.

Item de quolibet precepto fiendo vt possessiones, domus vel terre vacuentur, ad computum soldorum duorum pro qualibet lista.

Item de quolibet firmamento fiendo ipsa occasione imperiales tres.

Item de qualibet parabula intrandi in possessionem aliquarum rerum per fortiam ad computum soldorum duorum pro lista papiri.

Item de quolibet denuntiamto fiendo occasione datiorum et pedagiorum soldos duos.

Item de quolibet banno dando dicta occasione soldum vnum terciolorum.

Item de quolibet exemplo banni dicta occasione soldum vnum terciolorum.

Item de qualibet parabula per fortiam danda occasione suprascripta soldos duos.

Item de qualibet condemnatione seu absoluteione scribenda et publicanda occasione datiorum et pedagiorum soldos quinque terciolorum, et si fuerit a quantitate librarum viginti quinque supra, soldos octo terciolorum.

Item de quolibet cassamento si fuerit contra diuisum, imperiales tres, et si fuerit contra comune, soldum vnum.²⁾

Item de qualibet parabula eundi domum ad ponendum in quaterno imperiales tres.

Item de exemplo ipsius parabule imperiales tres.

Item de qualibet securitate occasione sequelarum domini capitanei pro quolibet comuni soldos quatuor terciolorum.

Item de quolibet termino et de qualibet dilatione imperiales tres.

Item de qualibet responsione libelli seu petitionis cum subscriptione libelli soldos duos terciolorum.

Item de responsione positionum soldos duos terciolorum.

¹⁾ Be und B: expleuerint.

²⁾ Be: comune, imperiales sex.

Item de quolibet precepto fiendo ad videndum pronuntiarum testes pro apertis soldos duos.

Item de qualibet pronuntiatione testium pro apertis imperiales sex.

Item de quolibet precepto fiendo ad audiendum sententiam, ad computum soldorum duorum pro qualibet lista papiri.

Item de qualibet interlocutoria soldos duos.

Item de qualibet commissione super diffinitiva soldos duos.

Item de qualibet lectura sententie soldos duos.

Item de qualibet sententia interlocutoria non possit accipi vltra soldos decem terciolorum.

Item de qualibet sententia diffinitiva non possit accipi pro scriptura vltra soldos viginti terciolorum.

Item de qualibet appellatione fienda viua voce sine scriptis soldos duos terciolorum.

Item ad recipiendum testes non debeat accipi de folio duarum paginarum in quibus sint viginti linee pro pagina vltra imperiales XIII^{or}, etiam si essent plures notarii, et quelibet linea sit XIII^{or} dictionum, et quod vna linea computetur cum altera.

Item ad exemplandum ipsos testes vltra soldos duos terciolorum pro quolibet folio duarum paginarum vt supra.

Item ad exemplandum acta vltra imperiales XIII^{or} pro quolibet folio duarum paginarum vt supra dictum est.

Item de quolibet instrumento tutele vltra soldos quatuor.

Item de qualibet actoria vltra soldos tres.

Item de qualibet condemnatione ex sua confessione si fuerit de singularibus personis vsque ad tres personas vltra soldos duos et abinde supra pro quolibet nominato imperiales tres, et si fuerit de aliquo comuni occasione sindicatus, si fuerit post breue, soldos quatuor, et sine breue soldos quinque terciolorum.

Item de quolibet curatore ad faciendum venditionem, si fuerit de domo vna vel de petia vna terre, soldos sex, et abinde supra pro qualibet petia vel domo coherentia imperiales duos et plus vel minus secundum quantitatem scripture.

Item de quolibet curatore ad causas vltra soldos quatuor.

Item de quolibet alio curatore ad negotia soldos quinque.

Item de qualibet camparitia vsque ad duos camparios soldos duos, et abinde supra vsque ad soldos tres.

Item de qualibet fidantia danda sindicis secundum formam statutorum comunitatis Lugani et vallis, si fuerit burgus, soldos tres; et si fuerit villa, soldos duos; et si daretur

vni singulari, soldum vnum; et abinde supra denarios sex pro quolibet

Item de quolibet sindicatu fiendo per comune soldos sex.

Item de qualibet lectura emancipationis soldos duos.

Item de qualibet emancipatione vbi datur vna petia terre vel vna domus vel vna res mobilis vel immobilis, soldos sex terciolorum, et si plures res darentur in emancipatione, imperiales quatuor pro qualibet re coherentiata vltra predicta.

Item de qualibet subscriptione notarii banchi in donatione fienda imperiales sex.

Item de qualibet laudatione notarii pro imbreuiaturis alicuius defuncti¹⁾ soldos duos.

Item de quolibet instrumento fiendo in quo comunitas obligaretur, soluatur ad voluntatem domini capitanei vel eius vicarii.

Item de taxatione expensarum taxator debeat habere pro qualibet libra imperiales sex et non vltra.

Item de qualibet alia scriptura et quolibet alio actu non supra specificato notarius habeat tantum quantum capitaneus vel eius vicarius sub quo fieret taxabit et non vltra.

Item quod ille cui commissum fuerit ad taxandum expensas non possit nec debeat taxare vltra pretia supra specificata.

CCXLI. De pena notariorum qui acceperint vltra predicta.

Item quod si aliquis notarius vel officialis vel aliquis ipsorum acciperint, fecerint vel commiserint contra predicta vel aliquod predictorum, puniantur in libris tribus terciolorum pro quolibet ipsorum et qualibet vice, et quilibet possit accusare et habeat medietatem condemnationum; et qui denarii possint exigi per dominum capitaneum et eius officiales in continenti cum sibi constiterit ipsos vel aliquem ipsorum fecisse contra predicta vel aliquod predictorum, personam ipsorum capiendo, bona pignerando sine aliqua condemnatione fienda.

CCXLII. De salario seruatorum.

Item statutum est, quod si aliquis seruator citauerit aliquem in burgo Lugani, quod habeat imperiales quatuor; et si iuerit extra burgum ad citandum aliquem, quod habeat imperiales quatuor pro quolibet miliario²⁾ et vltra imperiales

¹⁾ B und T: notarii in scripturis.

²⁾ Be und B: hier und im Folgenden immer miliare.

quatuor pro quolibet citato, et dicti imperiales quatuor pro miliario solvantur comuniter per omnes citatos, et computetur miliarium de loco ad locum, videlicet quod non possint habere dictam solutionem nisi incipiendo ad primum locum propinquorem ad Luganum, et subsequenter de illo loco ad alium locum propinquorem computetur strata vt supra. Et si fecerint pignus vel robariam in Lugano, quod seruitor habeat imperiales sex pro pignere, et si cum famulo, imperiales duodicim pro quolibet pignere. Saluo si fuerit pro taleis, quod habeant solum seruitor et famulus imperiales sex pro pignere. Et si iuerint ad robandum extra burgum Lugani in quacunque parte iurisdictionis, habeat seruitor imperiales quatuor pro quolibet miliario et soldos duos pro pignere, et si cum famulo, imperiales quatuor pro quolibet miliario pro vtroque eorum et soldos quinque pro pignere, et computetur strata et miliarium de loco ad locum vt supra. Et quod non possint accipere pignus pro eorum mercede, nisi fuerit pro maleficiis vel ex officio regiminis, et quod omnia pignera que robauerint vt supra teneantur reponere et consignare penes consulem vel ydoneam personam ipsius loci vel burgi, in quo factum fuerit ipsum pignus ipsa die, et subsequenter infra decem dies garantare et scribi facere dicta pignera ad banchum regiminis. Et qui contrafecerit in aliquo predictorum casuum, puniatur per dominum capitaneum vel eius vicarium qualibet vice in libris tribus terciolorum; quas si soluere non poterit infra dies decem, ponatur in berlinam siue in catenam positam ad portam domus regiminis; et quod quilibet possit accusare.

CCXLIII. Quod obligati vel condemnati debitorio vel fideiussorio nomine non possint esse testes.

Item statutum est, quod obligati vel condemnati debitorio vel fideiussorio nomine de pecunia vel de re mobili vel immobili aut alicui ¹⁾ alii de debitis obligationum vel condemnationum seu quantitatum denariorum tenentes vel qui de cetero obligabuntur vel condemnabuntur aut tenebuntur, non possint esse testes nec in testes admittantur contra instrumenta huiusmodi obligationum et condemnationum, vt instrumenta et credita probentur vel probari velint fore de minori quantitate quam contineatur in illis, aut quod debita fuerint contracta ob alias causas quam sint cause in instrumentis conscripte, vel quod debita soluta sint in toto vel in parte.

¹⁾ Be: alicui.

Et si admitterentur in testes, eorum inualida sint testimonia nec ante depositum seu post depositum quod fieret vel fieri vellet vel factum esset per principales debitores vel eorum fideiussores vel alios occasione ipsorum debitorum.

CCXLIIII. De processibus recuperandis infra annum.

Item statutum est, quod processus facti in contumaciam non possint recuperari post annum nisi restitutis expensis et satisfatione prestita de parendo iuri et iudicatum soluendo.

CCXLV. Quod nullus Lugani possit detineri nec eius bona contestari ad petitionem non substinentis onera etc.

Item statutum est, quod nulla persona comunitatis vallis Lugani et ripperie possit capi nec personaliter detineri nec res et bona nec fructus contestari pro aliquo debito presenti, preterito vel futuro ad petitionem alicuius singularis persone que non substineat nec soluat fodra, mutua onera nec impositiones comunitatis predictae.

CCXLVI. Quod statuta vltimo facta valeant.

Item statutum est, quod si aliquod statutum contentum in statutis comunitatis vallis Lugani et ripperie reperiatur esse contrarium alteri statuto, quod illa statuta que vltimo facta sint valeant et teneant, et primum in eo de quo contrarium erit vltimo nullius sit efficacie.

CCXLVII. De instrumentis que possunt expleri de imbreuiaturis canzellatis.

Item statutum est, quod ex imbreuiaturis venditionum, finium, confessionum, inuestiturarum, dotium, donationum, compromissorum, arbitramentorum, cambiorum seu commutationum et cuiuslibet contractus et instrumenti traditi et imbreuiati per aliquem tabellionem, in quibus imbreuiaturis scriptum est seu continetur: vnde plura, seu ex quibus instrumentis possunt fieri plura, possint expleri et in publicam formam reduci, non obstante quod ipse imbreuiature essent canzellate.

CCXLVIII. Quod nullus det mutuo alicui monasterio.

Item statutum est, quod aliqua persona comunitatis vallis Lugani et ripperie vel aliunde non possit nec debeat mutuare

vel mutuo dare alicui monasterio vel hospitali dicti comitatus nec alicui eorum prelato nec monaco vel fratri in comuni vel speciali aliquam quantitatem pecunie vel aliquam rem que appellatione pecunie contineatur largo sumptu vocabulo; et si aliquis contrafecerit, quod si instrumentum inde factum fuerit, cassum sit et irritum ipso iure, et siue sit instrumentum siue non instrumentum, contractus ipso iure nullus sit valoris et non fiat sibi ius per aliquem iudicentem de predictis. Et si quis contrafecerit vt supra dictum est, puniatur in libris vigentiquinque terciolorum qualibet vice, et notarius qui confecerit instrumentum puniatur et soluat pro banno libras decem terciolorum, et quilibet possit accusare, medietas cuius condemnationis sit comunitatis predicti comitatus et alia medietas sit accusatoris.

CCXLVIII. Vsque ad quantum possit seruitor
robare.

Item statutum est, quod quocienscunque contingerit aliquem seruitorem ire ad predandum aliquam singularem personam vel aliquod comune pro aliquo debito, quod ipse seruitor non possit facere ipsam predam nisi vsque ad quantitatem que specificata est in parabula et vltra vsque ad quartum et non plus, et quod quilibet seruitor¹⁾ vallis Lugani et ripperie teneatur facere bonam securitatem cum bonis fideiussoribus de libris decem terciolorum de exercendo officium seruitorie iuste, fideliter et legaliter bona fide sine fraude secundum formam statutorum comunitatis vallis Lugani et ripperie, que securitas debeat scribi per notarios dicte comunitatis.

CCL. Quod fiat vnus liber datiorum.

Item statutum est, quod fiat vnus liber²⁾ expensis comunitatis, in quo scribi debeant omnia data et pacta pedagiorum et aliorum datiorum que exiguntur in dicta comunitate vallis Lugani et ripperie, qui liber teneatur in archignio³⁾ scripturarum dicte comunitatis.

CCLI. De questionibus datiorum summarie
cognoscendis.

Item statutum est, quod dominus capitaneus dicte comunitatis et eius vicarius teneatur et debeat cognoscere de

¹⁾ Be: servitor communitatis.

²⁾ B und T: liber datiorum.

³⁾ B: archiuio. T: archiuo.

questionibus pedagiorum et datiorum summarie non obstantibus aliquibus feriis nec interdictis causarum.

CCLII. De questionibus concludendis.

Item statutum est, quod capitaneus vel eius vicarius comunitatis comitatus vallis Lugani et ripperie teneantur sacramento in questionibus que sub aliquo eorum placitantur et placitabuntur, in fine concludere in ipsa causa et facere quod partes concludant in ipsa causa, receptis omnibus earum probationibus per testes vel instrumenta, et hoc si ab aliqua partium ab eis fuerit postulatum; salvo quod si post conclusionem factam in ipsa causa aliqua ipsarum partium producere voluerit aliquod instrumentum vel instrumenta de nouo, quod possit ipsum vel ipsa producere, et hoc stetur iuramento ipsius producentis quod de nouo reperuit.

CCLIII. De scolaribus non capiendis.

Item statutum est, quod nullus scolaris studens in scholis in grammaticali vel loicali¹⁾ arte vel alia scientia possit interim pro aliquo pecuniario debito capi, robari, impediri nec aliquo alio modo molestari.

CCLIIII. De instrumentis quibus adesse debent secundi notarii.²⁾

Item statutum est, quod in quolibet contractu, cuiuscunque maneriei velit existat, qui fiet et tradetur de cetero in burgo Lugani, si fuerit quantitatis librarum quinque terciolorum et ab inde supra vsque ad libras decem terciolorum, debeat interesse vnus secundus notarius vltra illum qui tradiderit instrumentum, et vltra testes tres vel saltem duos, qui presentes esse debent; et si instrumentum fuerit quantitatis librarum decem et ab inde supra vsque ad quinquecenta libras terciolorum, debeant interesse duo secundi notarii vltra illum notarium qui tradiderit instrumentum, et vltra tres testes vel saltem duos, qui presentes esse debent. Et si instrumentum fuerit quantitatis librarum quinquecenta terciolorum et ab inde supra vsque ad quamcunque quantitatem velit ascendat, debent interesse tres secundi notarii vltra illum qui tradet instrumentum et vltra tres testes vel duos. Saluo si fuerit testamentum, quod vltra dictos tres secundos notarios sint presentes septem testes. Et si fuerit codicillus, quod

¹⁾ Be und B: logicali.

²⁾ Ba: Nachschreiber.

sint presentes quinque testes vltra dictos notarios. Et si instrumentum traditum fuerit extra burgum Lugani in comunitate vallis Lugani et ripperie, seruetur modus suprascriptus in qualibet quantitate vt supra. Et quod presbiter sui burgi, loci vel comunantie possit interesse pro vno¹⁾ notario in suo burgo vel loco et habeatur si presens fuerit loco vnius secundi notarii; etiam quilibet consul sui burgi vel loci habeatur et interesse possit similiter pro vno secundo notario; et si aliter reperiretur aliquod instrumentum factum vel quod fieret, non valeat nec ei fides adhibeatur vltra illam quantitatem que continetur vel continebitur in instrumento. Saluo quod hoc statutum non habeat locum in securitatibus et aliis instrumentis que recipientur nomine dicte comunitatis dicti comitatus.

CCLV. De questionibus terminorum et confinium terminandis.

Item statutum est, quod omnes lites, cause et questiones que sunt et de cetero erunt inter comunia burgorum, locorum, villarum et quarumlibet aliarum terrarum²⁾ comitatus vallis Lugani et ripperie occasione comunantiarum, finium, terminorum, pascuorum et quorumcunque aliorum dependentium ab eisdem vel ab aliquo ipsorum, terminari et diffiniri debeant per infrascriptum modum, videlicet quod dominus capitaneus presens et qui pro temporibus fuerit vel eius vicarius, quando et quotienscunque contingerit moueri aliquam questionem pro dictis occasionibus vel aliqua ipsarum, teneatur eligere tres bonos et legales homines predicti comitatus partibus non suspectos prout ipsi domino capitaneo seu vicario videbitur, qui boni viri ipsam questionem debeant videre, examinare et diffinire infra dies trigenta postquam eis dicta commissio dicte questionis facta fuerit per dictum dominum capitaneum seu eius vicarium, summarie sine strepitu et figura iudicii et de plano absque aliqua iuris solemnitate, et data petitione et non data, porrectis capitulis et non porrectis, et visis testibus et non visis, et allegationibus auditis et non auditis, bona fide sine fraude in omnibus secundum quod eis pro meliori videbitur, et terminos, fines et coherentias inter ipsas partes possint et debeant ponere et ordinare secundum quod eis videbitur, et totum et omne id quod fecerint, dixerint, ordinauerint, et terminos et fines quos posuerint et statuerint

¹⁾ Be: uno secundo.

²⁾ Be: personarum.

in predictis et circa predicta vel aliquod predictorum sint rata, grata, firma et valida et debeant obseruari et firma teneri et executioni mandari per dominum capitaneum et eius officiales, et quod aliqua partium inter quas esset lata aliqua sententia vel aliquod esset dictum, diffinitum seu terminatum per predictos tres electos vt supra, siue sit vniuersitas siue collegium siue singularis persona, non possit nec debeat venire contra ipsa vel aliquod ipsorum, sed debeant ipsa attendere et obseruare et in aliquo non contrauenire de iure nec de facto nec possint dicere nulla nec reducenda ad arbitrium alicuius boni viri nec ab ipsis se appellare, et qui contrafecerit, si fuerit vniuersitas, comune vel collegium, soluant pro banno comunitati predictae libras ducentum terciolorum, et si fuerit singularis persona, libras quinquegenta terciolorum qualibet vice, et nichilominus solutis ipsis penis ordinata, dicta et diffinita in sua firmitate permaneant. Et quod ipsi tres electi teneantur ipsam questionem commissam diffinire et terminare infra dictum terminum trigenta dierum sub pena librarum viginti quinque terciolorum pro quolibet ipsorum et qualibet vice. Et quod illi tres qui sic electi fuerint debeant iurare corporaliter ad sancta Dei euangelia manibus tactis scripturis faciendi et exercendi dicta eis commissa bene et legaliter sine aliquo dolo vel fraude in manibus domini capitanei vel eius vicarii. Et quod habeant et habere debeant pro eorum salario tantum quantum per ipsum dominum capitaneum vel eius vicarium eis et cuilibet ipsorum fuerit taxatum et non vltra. Et quod non possint habere, percipere nec recipere a partibus inter quas esset questio nec ab aliqua persona earum nomine nec alio ingenio seu quesito colore aliud quam quod eis taxatum fuerit. Et si quis contrafecerit in aliquo, perpetuo sit infamis et non possit habere aliquod officium nec beneficium a comunitate predicta et vltra condemnetur in libris centum terciolorum pro quolibet et qualibet vice et vltra realiter et personaliter ad arbitrium domini capitanei, et quilibet possit accusare et habeat medietatem, et accusatori adhibeatur fides cum iuramento et vno teste fide digno, et quod contra predictos et quemlibet ipsorum predictis occasionibus possit procedi per dominum capitaneum et eius officiales ex eorum officio per accusationem, denuntiationem et inquisitionem et per quemcunque alium modum prout eis videbitur et placuerit. Et si contingerit ipsos tres electos non esse in concordia ad diffiniendum et determinandum eis commissa vt supra, quod hoc quod duo ipsorum concorditer ordinauerint, diffiniuerint et determinauerint, intelligatur esse

ordinatum et diffinitum per ipsos tres, et sint eiusdem efficacie ac si omnes tres concorditer ipsam questionem diffinissent et determinassent, et ipse tertius teneatur consentire, pronuntiare, diffinire et ordinare secundum opinionem et consilium aliorum duorum. Et quod neutra partium, inter quas esset aliqua questio predictis occasionibus vel aliqua ipsarum, possit dare ultra suspectos decem pro qualibet parte. Et quod non sit aliqua persona cuiuscunque status et conditionis existat, que audeat nec presumat aliquo modo vel ingenio mouere vel moueri facere aliquem terminum nec aliquam finem seu difiniantiam¹⁾ positum seu positam per ipsos electos; et si quis contrafecerit, si fuerit comune, collegium vel vniuersitas, soluat pro banno comunitati predictae libras centum terciolorum, et si fuerit singularis persona, soluat libras vigentiquinque terciolorum aut amputetur ei vna manus. Et quod nulla persona comunitatis predictae possit aliquo modo vel ingenio venire, facere, procurare, aduocare nec patrocinari contra predicta vel aliquod predictorum sub pena librarum decem terciolorum pro quolibet et qualibet vice, que pena incontinenti exigatur ab illis qui procurarent vel patrocinarentur contra predicta vel aliquod predictorum sine aliqua condemnatione facienda. Et quod predictum statutum in quolibet capitulo habeat locum et seruetur in omnibus questionibus que essent inter quaslibet personas singulares. Et quod determinationes seu sententie ipsarum questionum imbreuiari debeant ad cancellariam siue banchum predictae comunitatis per cancellarios siue notarios ipsius comunitatis.

CCLVI. De questionibus legatorum summarie cognoscendis.

Item statutum est, quod de omnibus questionibus que oriri seu moueri contingerint pro aliquibus legatis factis ad pias causas oretenus vel in scriptis alicui ecclesie vel hospitali vel aliquibus religiosis vel secularibus, cognoscatur per capitaneum vel eius vicarium summarie sine strepitu et figura iudicii et sine datione libelli.

CCLVII. Quod principalis debitor prius conueniatur.

Item statutum est, quod si quis fideiussorio vel secundario nomine pro aliquo se obligauit vel obligabit, primo principalis pro quo obligatus sit vel erit, debeat conueniri ante quam fideiussor vel secundarius, sed hoc statutum non

¹⁾ Be: differentiam.

habeat locum nec seruetur in fideiussoribus et contractibus vel obligationibus tangentibus vel spectantibus seu pertinentibus comunitati¹⁾ vallis Lugani et ripperie.

CCLVIII. De abatribus notariorum eligendis.

Item statutum est, quod per consilium generale comunitatis vallis Lugani et ripperie singulis sex mensibus eligantur duo notarii qui sint de dicto comitatu vallis Lugani vel ripperia valentes recti et sufficientes, qui vocentur abates collegii notariorum comitatus vallis Lugani, et isti abates examinare debeant quoscunque notarios qui de cetero vellent tradare cartas, et nullus possit tradare cartas in dicto comitatu nec ripperia nisi sit laudatus per dictos abates quod sit sufficiens.

CCLVIII. Quod fiat liber qui vocetur matricula notariorum.

Item statutum est, quod fiat vnus liber qui vocetur matricula notariorum comitatus vallis Lugani, super quo describantur nomina et cognomina omnium notariorum dicti comitatus vallis Lugani et ripperie cum signis ipsorum notariorum, et hanc scriptionem super ipso libro siue matricula faciat vnusquisque notarius tam presens quam futurus sua manu cum suo signo, aliter non possit aliquis notarius, qui se non scripserit super dicto libro cum suo signo vt supra, tradare aliquas cartas sub pena librarum vigentiquinque terciolorum, totiens quotiens contrafecerit, comunitati predictae pro medietate applicanda et pro alia medietate illi qui accusauerit. Et quilibet possit accusare et stetur eius sacramento cum vno teste fidedigno, et instrumenta per ipsum vt supra confecta nullius sint roboris nec momenti.

CCLX. De notariis subrogatis ad explendum imbreuiaturas examinandis.

Item statutum est, quod notarii qui substitui et surrogari debuerint ad explenda²⁾ et reficienda instrumenta tradita et imbreuiata per notarios defunctos, primo examinentur per notarios³⁾ comunitatis vallis Lugani, et postquam fuerint examinati per ipsos abates, possint substitui et confirmari per consilium generale dicte comunitatis, ita quod predicti notarii

¹⁾ B und T: camere prelibati Domini necnon comunitati.

²⁾ Be: exemplanda.

³⁾ Be, B und T: per notariorum abbates.

qui predicto modo fuerint approbati et substituti, antequam de ipso officio aliquo modo se intromittant, coram ipsis abatibus iurare debeant corporaliter ad sancta Dei euangelia manibus tactis scripturis ipsum officium sibi commissum fideliter et bona fide facere et exequi, et nomina ipsorum notariorum et eorum sacramenta scribantur in vno quaterno per notarios officii notarie dicte comunitatis; qui notarii substituti hunc modum et formam teneantur attendere et obseruare, videlicet quod nullum instrumentum ex imbreuiaturis defuncti compleant vel reficiant, nisi primo dicti abates viderint et diligenter examinauerint quaternum imbreuiature, vnde ipsum instrumentum vult extrahi siue refici; et examinatione per ipsos abates facta et instrumento ex imbreuiaturis extracto seu refecto debeant ipsi abates sua manu in ipso instrumento subscribere et sua signa apponere. Et instrumentum quod reperietur esse sine subscriptione ipsorum abatum et sine signis eorum, non valeat nec ei fides adhibeatur. Qui abates possint accipere soldos duos terciolorum pro quolibet eorum pro predicta eorum subscriptione; et in qualibet subscriptione fienda per ipsos abates et notarios ponatur annus, mensis et dies, et aliter non valeat ipsa subscriptio. Item quod predicti abates diligenter examinationem et prouisionem habere debeant tam in quaternis imbreuiaturarum quam faciendo requirere illos qui ex huiusmodi refectione lederentur, secundum quod ipsis abatibus melius videbitur expedire.

CCLXI. De notariis qui non possunt tradare cartas in iurisdictione.

Item statutum est, quod nullus notarius possit in iurisdictione comunitatis predictae exercere officium notarie ad tradandum cartas, nisi sit oriundus de dicta iurisdictione aut in extimo siue facultate in ipsa iurisdictione descriptus et onera in ipsa iurisdictione substineat.

CCLXII. De dilationibus causarum propter messes et vendemias.

Item statutum est, quod dominus capitaneus et eius vicarius comitatus vallis Lugani et ripperie teneatur et debeat dilatare seu induciare causas¹⁾ propter²⁾ tempora messium et

¹⁾ B und T: induciare et suspendere quascunque causas ciuiles cuiuscunque quantitatis.

²⁾ T: per.

vendemiarum, quod tempus messium intelligatur et sit a medio mense iunii vsque ad kalendas mensis augusti¹⁾, et tempus vendemiarum intelligatur et sit a medio mensis septembris vsque ad kalendas mensis nouembris.²⁾ Et quod dictis temporibus non possint nec debeant cognoscere neque ius reddere³⁾ nisi de questionibus infrascriptis. Et item de questionibus de quibus potest et debet cognosci summarie quolibet die feriato et non feriato vt infra videlicet:

CCLXIII. De causis que debent differri occasione messium.⁴⁾

Imprimis quod si quis fuerit in banno vel consignatione vel timeat ne extimetur vel ne accipiatur de bonis eius post bannum vel consignationem, et vellet facere rationem, non extimetur neque depredetur de bonis eius, si bannitus vel qui consignatus fuerit voluerit facere rationem, sicut facere teneretur diebus non feriatis illa vice qua bannum datum vel consignatio facta fuerit.

Item de nullitate extimationum et recuperationum et manutentione earum.

Item de possessionibus recuperandis vel anichilandis et in ipsis possessionibus manutenendis datis per capitaneum seu eius vicarium comunitatis comitatus vallis Lugani et riperie.

Item de mercedibus et salariis et contractibus rerum mobilium et pretiis earum vbi agitur quod incontinenti vel infra decem dies fiat solutio et traditio, de quibus non est carta vel condemnatio.

Item de solutionibus faciendis et recipiendis.

Item de appellationibus que fierent per homines burgorum vel villarum comunitatis comitatus vallis Lugani et riperie.

Item de questionibus fodrorum et vicinantiarum burgorum et villarum dicti comitatus.

Item de diuisionibus faciendis de quibuscunque rebus.

Item de questionibus finium seu terminorum.

Item de omnibus alimentis prestandis et taxandis.

Item de omnibus depositis factis et faciendis preterquam de instrumentis obligationum factarum occasione depositi.

¹⁾ Be, B und T: vsque ad medium mensem iulii.

²⁾ B und T: vsque ad medium mensem octobris.

³⁾ Das Folgende fehlt in B und T.

⁴⁾ Dieses Capitel fehlt in B und T.

Item de omnibus questionibus cibi et potus de quibus non est carta vel condemnatio.

Item de pigneribus rerum mobilium luendis et rerum immobilium de quibus facta est venditio sub pacto luendi.

Item de fictis, decimis et premitiis et pensionibus et fructibus pendentibus illius anni in quo agitur.

Item de mercatis factis attendendis.

Item de omnibus questionibus que essent inter homines et comunia vel inter singulares homines vel inter comunia occasione alicuius exercitus facti vel qui de cetero fiet per comunitatem dicti comitatus, de quibus non est carta vel condemnatio.

Item de cartis et condemnationibus reficiendis et complendis.

Item de denuntiatione noui operis.

Item de refectione ecclesiarum, viarum et pontium et domorum.

Item de tutoribus et curatoribus dandis et ordinandis.

Item de solutionibus factis comunitati animo accipiendi actiones.

Item de questionibus pedagogii et aliorum datiorum.

Item de rationibus tutelarum et curarum reddendis vel non reddendis.

Item de questionibus refutationum terrarum et domorum et rerum territoriarum, vel si dominus massarium siue colonum de terris et rebus territoriis et domibus quas ab eo tenet expellere vellet.

Item de quibuscunque questionibus vsque ad quantitatem librarum decem terciolorum, de quibus non est carta.

CCLXIII. De dilationibus causarum propter festa sanctorum.

Item statutum est, quod dominus capitaneus vel eius vicarius non possit nec debeat ascendere banchum pro iure reddendo diebus infrascriptis, nec aliquis possit in ipsis diebus realiter nec personaliter conueniri preterquam pro datiis et taleis.

de mense ianuarii.

Primis octo diebus mensis ianuarii propter ferias Natiuitatis Domini et Epiphanie.

von späterer Hand beigefügt: die 13. propter festum sancti Illarii.¹⁾

¹⁾ Statt dessen in B: die XV propter mercatum iuxta statutum. In Be und T fehlt beides.

die XVII propter festum sancti Antonii.

später eingefügt: die XX propter festum sancti Sebastiani.¹⁾

die XXI propter festum sancte Agnetis.

die XXII propter festum sancti Vicentii.

die XXV propter festum Conuersionis sancti Pauli.

de mense february.

²⁾die secundo mensis february propter festum sancte Marie.

die III propter festum sancti Blasii.

die V propter festum sancte Agate.

die VIII propter festum sancte Apolonie.³⁾

die XXII propter festum Catedre sancti Petri.

die XXVIII propter festum sancti Mathie apostoli.⁴⁾

de mense marzii.

⁵⁾die VIII propter festum sancti Proyni.

die XII propter festum sancti Gregorii.⁶⁾

späterer Zusatz: die XVIII propter festum sancti Josephi.⁷⁾

die XXI propter festum sancti Benedicti.⁸⁾

die XXV propter festum Annuntiationis sancte Marie.

späterer Zusatz: item omnes dies veneris martii.⁹⁾

de mense aprilis.

¹⁰⁾die secundo propter festum sancti Abundii.¹¹⁾

die XXVIII propter festum sancti Georgii.

die XXV propter festum sancti Marci.

die XXVIII propter festum sancti Petri martiris.

de mense madii.

die primo propter festum sanctorum Jacobi et Filippi.¹²⁾

¹⁾ Auch in Be, B und T.

²⁾ B schickt voraus: die I propter mercatum iuxta statutum.

³⁾ B fügt bei: die XV propter mercatum iuxta statutum.

⁴⁾ B fügt bei: propter festum carnispriuii vsque ad feriam Dom. Quadrag.

⁵⁾ B wie in Note 2. Dagegen Be stellt voran: die VII propter festum scti Thome de Aquino.

⁶⁾ B wie in Note 3.

⁷⁾ Auch in B und T. In Be: die XVIII propter festum scti Theodori episcopi et causa voti.

⁸⁾ B fügt bei: die 24. propter vigiliam diei sequentis.

⁹⁾ Der Zusatz fehlt in B und T.

¹⁰⁾ B wie in Note 2.

¹¹⁾ B fügt bei: diebus septem ante festum Paschatie S. Resurrect. et diebus 10 post ipsum festum. Die 15. propter mercatum iuxta statutum.

¹²⁾ B fügt bei: die 2. propter mercatum iuxta statutum.

die tertio propter festum Inuentionis sancte Crucis.
 die IIII propter festum sancti Gotardi.
 die VI propter festum sanctorum Proti et Jacentis.¹⁾
 die VIII propter festum sancti Victoris.²⁾
 vltima die veneris dicti mensis propter votum comunis
 Lugani.³⁾

späterer Zusatz: die 13. propter festum dedicationis ecclesie cathedralis comunis. — die 20. propter festum sancti Bernardini.⁴⁾

de mense iunii.

⁵⁾die XI propter festum sancti Barnabe.
 die XIII propter festum sancti Fidelis.⁶⁾
 die XXII propter festum sancti Juliani.⁷⁾
 die XXIII propter festum sancti Johannis Baptiste.
 die XXVIII propter festum sanctorum Petri et Pauli.

De mense iulii.

⁸⁾die secundo iulii propter festum sancte Elizabet.
 die V propter festum sancte Malgarite.
 die XII propter festum sancti Luzoni.⁹⁾
 die XVI propter festum sancti Quirici.
 die XXII propter festum sancte Marie Magdalene.
 die XXV propter festum sanctorum Jacobi et Christofori.¹⁰⁾

¹⁾ Fehlt in B und T. Be: Hiacinti.

²⁾ Be fügt bei: die XVII propter festum seti Siri causa voti Mendrisii.
 B dagegen: die 15. propter mercatum iuxta statutum.

³⁾ Statt dessen und des Folgenden hat B: die 20. propter festum sancti Bernardini. Nota propter festum Ascensionis D. N. Nota propter festum S. Pentecostis cum duobus diebus festiuis sequentibus. Die vltima veneris propter votum burgi.

⁴⁾ Statt dieser Zusätze hat Be: die XX propter festum sancti Bernardini. die XXVIII propter festum sancti Sisinii.

⁵⁾ B: die 1. propter mercatum iuxta statutum. Nota propter festum sancti Corporis Christi cum octava.

⁶⁾ Be schliesst hier noch an: die XV propter festum sanctorum Viti et Modesti. B und T dagegen (statt s. Fidelis): seti Antonii de Padua, und B fährt fort: die XV propter mercatum iuxta statutum. Nota a presenti die vsque ad medium mensis iulii iuxta statuta cap. 262.

⁷⁾ Fehlt in B und T.

⁸⁾ B: die 1. propter mercatum iuxta statuta et etiam diebus sequentibus propter messes vt supra.

⁹⁾ B fügt bei: die 15. propter mercatum iuxta statuta.

¹⁰⁾ B fügt bei: die 26. propter festum sancte Anne. die 27. propter festum sancti Pantaleonis.

die XXVIII propter festum sancti Nazarii.

späterer Zusatz: die 29. propter festum sancte Marthe. (Dies auch in B, aber nicht in Be und T.)

de mense augusti.

die primo propter festum sanctorum Petri ad Vincula et Euxebii.¹⁾

die VII propter festum sanctorum Carpori et Donati.

die VIII

die X

späterer Zusatz: die XI

die XV propter festum Assumptionis sancte Marie.

späterer Zusatz: die XVI propter festum sancti Rochi.³⁾

die XXIII propter festum sancti Bartolomei.

die XXVIII propter festum sancti Augustini.

die XXVIII propter festum Decollationis sancti Johannis Baptiste.

de mense septembris

⁴⁾ die VIII propter festum Natiuitatis sancte Marie.

späterer Zusatz: die X propter festum sancti Nicolai de Tolentino.⁵⁾

die XIII propter festum Exaltationis sancte Crucis.⁶⁾

die XXI propter festum sancti Mathei.⁷⁾

die XXVIII propter festum sancti Michaelis.

die XXX propter festum sancti Yeronimi.

de mense octobris.

⁸⁾ die III propter festum sancti Francisci.⁹⁾

die XVIII propter festum sancti Luce.

¹⁾ In B, Be und von anderer Hand in T ist beigefügt: die 5. propter festum sancte Marie ad nives (Be: della Nive). Die 6. propter festum (blos in Be: sancti Sisti de precepto b. Pape Sisti et) Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi.

²⁾ In B, Be und T blos: die X. Be hat noch: die duodecimo propter festum sancte Clare virginis.

³⁾ Auch in B und T. Nicht aber in Be, wo dafür steht: die XX propter festum sancti Bernardi abbatis. B fügt bei: die 17. propter mercatum iuxta statutum.

⁴⁾ B: die 1. propter mercatum iuxta statutum. — die 7. propter vigiliam diei sequentis.

⁵⁾ Fehlt in B, Be und T.

⁶⁾ B fügt bei: die 15. propter mercatum et a presenti die vsque ad medium mensem octobris iuxta statutum.

⁷⁾ Be fügt bei: die XXVII propter festum sanctorum Cosme et Damiani.

⁸⁾ B: die 1. propter mercatum et ferias vt supra.

⁹⁾ B schliesst an: die 15. propter mercatum iuxta statutum.

die XXI propter festum sancte Vrsule.¹⁾

die XXVIII propter festum sanctorum Simonis et Jude.
de mense nouembris.

die primo propter festum Omnium Sanctorum.

die secundo propter festum mortuorum.²⁾

die VI propter festum sancti Leonardi.³⁾

die XI propter festum sancti Martini.⁴⁾

späterer Zusatz: die 21. propter festum Presentationis beate Marie.⁵⁾

die XXV propter festum sancte Caterine.

die vltimo propter festum sancti Andree.

de mense decembris.

⁶⁾die VI propter festum sancti Nicolai.

die VII propter festum sancti Ambrosii.

späterer Zusatz: die VIII propter festum sanctissime Conceptionis
beate Marie.⁷⁾

die XIII propter festum sancte Lucie.⁸⁾

⁹⁾die XXI propter festum sancti Thome.¹⁰⁾

Item vltra predictos dies celebrentur octo dies ante festum Natiuitatis Domini nostri Yesu Christi et post vsque ad ferias Epiphantie inclusiue.

Item festum Carnispreuui cum tota hepdomada.¹¹⁾

Item septem dies ante festum Pasce Resurrectionis Domini et decem post.

Item festum Letaniarum maiorum.

Item festum Pasce Pentacostis cum duobus diebus sequentibus.

¹⁾ Fehlt in T. Be fügt bei: die XXII propter festum Translationis sanctorum Cosme et Damiani.

²⁾ B fügt bei: die 3. propter mercatum iuxta statutum. — die 4. propter festum sancti Caroli.

³⁾ Fehlt in B und T.

⁴⁾ B fügt bei: die 15. propter mercatum.

⁵⁾ Der Zusatz fehlt in Be und T.

⁶⁾ B: die 1. propter mercatum iuxta statutum. B und T: die 4. propter festum sancte Barbare.

⁷⁾ Der Zusatz auch in Be, B und T.

⁸⁾ Fehlt in Be.

⁹⁾ B: die 15. propter mercatum iuxta statuta. Nota: die 17. vsque ad ferias Epiphantie inclusiue propter S. Natiuitatem D. N. — Item omnibus diebus dominicis. — Item diebus Litaniarum

¹⁰⁾ Dieses und das Folgende fehlt in B, weil durch die vorhergehenden Einschaltungen ersetzt.

¹¹⁾ Be fügt bei: Item festum sancti Lazari.

Item festum Corporis Christi cum tota octaua.

Item Ascensio Domini.

Item omnes dies dominicales.

Item omnes dies mercati.

CCLXV. De personis que non possunt se obligare
pro potu et cibo in taberna.

Item statutum est, si quis tabernarius vel aliqua alia persona crediderit alicui filiofamilias vel alii minori qui non sit filiusfamilias pecuniam aliquam pro cibo et potu vel alio modo sibi eum obligauerit sine voluntate patris vel curatoris, qui curator esse debeat de propinquis parentibus illius qui se obligauerit vel condemnatus fuerit, seu tutoris qui eius tutelam vel curam gesserit, nullum regressum habeat contra filiumfamilias vel alium minorem, siue sit in tutela vel cura alterius siue non, nec contra patres de ipsa pecunia et obligatione. Et si que carte vel condemnationes inde facte fuerint, nullius sint valoris et momenti. Et quod fideiussores et eorum res et bona iuuentur et iuari debeant hoc statuto in omnibus et per omnia sicut alii filiofamilias et minores, pro quibus se obligant, et eorum res et bona, preterquam si obligauerint comunibus¹⁾ seu alicui comunium comunitatis vallis Lugani et ripperie.

CCLXVI. Quod obligationes facte occasione
bisclatie sint nulle.

Item statutum est, quod omnes obligationes et condemnationes, que de cetero fient pro debitis factis occasione bischalie²⁾ vel mutui facti ad bischaltiam, quamuis non continuerint in obligatione et condemnatione causam bischaltie vel mutui facti ad bischaltiam, dum obligati vel condemnati legitime probauerint, quod obligationes et condemnationes nate fuerint occasione mutuum factorum in bisclatiis et ludis tassillorum, ipso iure nulle sint et omnino inefficaces. Et hoc capitulum locum habeat tantum contra personas consuetas mutuare ad bisclatias vel que presumentur mutuare vel mutuasae.

CCLXVII. De nullitate processus et sententie
facte vltra quantitates concessas.

Item statutum est, quod omnes processus, acta et sententie facta et que de cetero fient per aliquos potestates, con-

¹⁾ B: camere prelibati D. Aloysii seu comunibus. T: preterquam camere prelibati Domini seu comunibus.

²⁾ B durchweg bislantie, T durchweg bislatie.

sules vel alios officiales comunium vallis Lugani et ripperie de aliquibus quantitatibus pecuniarum vltra quantitates eis concessas, sint cassa et irrita, et eorum executio sit cassa exnunc et irrita et nullo tempore executioni mandentur.

CCLXVIII. De pena non habentium consulem.

Item statutum est, quod quodlibet comune burgi vel loci seu ville comunitatis vallis Lugani et ripperie teneatur et debeat facere et habere vnum consulem seu consules, sub pena librarum quinque terciolorum qualibet vice qua repertum fuerit non habere consulem seu consules; et si in aliquo burgo seu loco non reperiatur aliquis potestas, missus, consul vel decanus, quelibet citatio seu requisitio seu consignatio captionis et prede possit fieri per quemlibet seruitorem comunitatis vallis Lugani seu designari in manibus duorum vicinorum ipsius comunis burgi seu loci, qua citatione seu requisitione seu assignatione facta comunia et comunitates postea teneantur ad consignationem ipsius captionis et prede et conueniri possint et contra ipsa procedi secundum formam statutorum dicte comunitatis, sicut si citatio vel consignatio facta fuisset potestatibus, consulibus, missis vel decanis nomine comunium vbi habitant.¹⁾

CCLXVIII. Quod instrumentum malum presumatur solutum.

Item statutum est, si instrumentum vel condemnatio de aliquo credito seu debito inueniatur incisum seu incisa, quod presumatur solutum esse ipsum debitum, nisi in ipsis instrumentis vel condemnationibus diceretur: vnde plura. Saluo quod si de ipso credito esset instrumentum et condemnatio et instrumentum inueniatur incisum, quod presumatur debitum solutum esse, licet condemnatio non sit incisa.

CCLXX. De bonis vendendis in scriptis dandis.

Item statutum est, quod quilibet qui voluerit vendere terras proprias vel ius vel proprias res vel fictum vel emphe-

¹⁾ B und T schliessen hier folgendes Capitel an:

De preceptis fiendis communibus et cui dari debentur.

Item statutum est, quod si contigerit fieri aliqua precepta communibus vallis Lugani et ripperie, quod dicta precepta debeant fieri in ipsis communibus consuli vel alteri vicino ipsius comunis per seruitores. Aliter preceptum nullius sit momenti. Saluo quod non habeat locum in debitis camere prelibati Domini Aloysii et pro factis comunitatis.

teosim datas vel locatas in perpetuum prout infra terminabitur, quas possideat, sit coram domino capitaneo vel eius vicario dicte comunitatis et det in scriptis quicquid vendere vult per coherentias, et cui vendere vult, et vbi et in quo loco, et iuret ad sancta Dei euangelia manibus tactis scripturis se fideiussorem dare non posse, et per sacramentum sub pena et banno librarum decem terciolorum et sacramenti¹⁾ det et describat omnes creditores cum quibus erit in causa, eis et cuilibet eorum tutoribus, et si fuerit ecclesia, comune, collegium, capitulum et vniuersitas vel corpus, requiratur potestas vel rector vel syndicus vel prelatus et notificentur ea, et quod veniat infra mensem post nuntiationem²⁾ et demonstret qualiter et ex qua causa habere debet et quantum, et iuret quod illud sit vere debitum, et sub pena librarum decem terciolorum; et post interim preconizetur infra dictum mensem per burgum Lugani per contratas dicti burgi semel in quacunque septimana videlicet qualibet die sabati et semel in burgo vel loco et contrata vbi stat venditor et predicta, et quicumque habet ius in re illa, veniat ad terminum mensis³⁾ coram domino capitaneo seu eius vicario et ostendat.

CCLXXI. De eodem.

Item statutum est, quod dominus capitaneus seu eius vicarius pro comunitate dicte vallis et ripperie et ipse venditor pro se vendant et cedant et alia faciant que in contractibus venditionum solent fieri, et plus offerenti detur. Saluo quod si parens vel ille qui prope habuerit vellet, possit habere pro illo pretio quod offeretur, si voluerit, et pretium accipiatur et deponatur penes caneuarium⁴⁾ dicte comunitatis, et ibi stet vsque ad duos menses post ipsum mensem.⁵⁾ Et ipsis tribus mensibus⁶⁾ elapsis detur et soluatur omnibus creditoribus et potiora iura habentibus, siue vxor eius siue non, et instrumenta restituantur et incidantur, et interim quod pecunia stabit penes comunitatem, sit periculo comunitatis. Et si aliqua questio super eis oriretur vel esset, deter-

¹⁾ B und T: sacramento.

²⁾ B und T: infra mensem inter presentes et duos menses inter absentes post nominationem.

³⁾ B: supradictum terminum. T: terminum suprascriptum.

⁴⁾ B und T: caneparium.

⁵⁾ B und T: ipsum terminum.

⁶⁾ B und T: ipsis terminis.

minetur per dominum capitaneum vel eius vicarium infra predictos duos menses.¹⁾

CCLXXII. De emptoribus predictarum rerum.

Item statutum est, quod quicumque emerit secundum formam predictam, ulterius sit securus, et nullus habeat postea regressum contra ipsas res venditas nec aliquod ius reddatur nec permittatur inde reddi super ipsis, nec iure successionis nec aliquo alio modo.

CCLXXIII. Quod notarii officii notarie eligantur ad predicta.²⁾

Item statutum est, quod notarii officii notarie eligantur et sint electi proprie ad predicta, qui sint boni et approbati in officio dicte notarie qui exerceant notariam predictam.

CCLXXIII. De iure dominorum seruando in feudis.

Item statutum est, quod de feudis et de rebus in empheteosim datis vel locatis in perpetuum vel datis in fictualibus feudum fiendis ius dominorum seruetur.

CCLXXV. Quod statuta facta super rusticis seruentur.

Item seruentur statuta dicte comunitatis facta super rusticis, qui non possint habere terram, nisi ostenderint quod aquisiuerint per publicum instrumentum a dominis nobiles, ciuibus vel ecclesiis vel burgensibus.

CCLXXVI. Item non intelligatur de terris etc.

Item non intelligatur de terris et rebus et iuribus propriis et in empheteosim datis et locatis in perpetuum vt supra.

CCLXXVII. De venditionibus factis per comunitatem annullandis.

Item quod omnes venditiones facte per dictam comunitatem de bonis illorum qui fideiussores dare non poterant secundum formam dicti statuti, sint casse et inutiles et nullius valoris et momenti, nisi venditores siue illi quorum res vendite sint predicto modo, reperirentur tenuisse et possedisse pre-

¹⁾ B und T: infra mensem post elapsos dictos terminos.

²⁾ Ba: Dass die Notarien der Bankschrybery sonderlich zum Ampt erwölt werden.

dictas res per suas per quinque annos ante tempus venditionis facte; sed venditores teneantur restituere totum pretium emptoribus in denariis numeratis tantum, si ipsum pretium fuit in denariis numeratis, et hoc infra mensem vnum. Et teneatur capitaneus compellere ipsos venditores ad restituendum ipsum pretium infra dictum terminum summarie et sine datione libelli, et etiam personaliter capiendo et detinendo personas et res et bona predictorum venditorum et eorum heredum. Et quod de cetero non possit fieri aliqua venditio per comunitatem predictam secundum formam dicti statuti, nisi ille qui vendiderit manifeste ostenderit se possidisse illas res quas vendere voluerit per quinque annos per suas; et si aliter venditio facta fuerit, ipso iure censetur nulla, saluis omnibus statutis super acquisitionibus et alienationibus rusticorum.

CCLXXVIII. De venditionibus factis voce preconia.¹⁾

Item statutum est, quod omnes venditiones que fient per comunitatem predictam voce preconia, postquam preconizate fuerint per tot dies secundum quod debent, interim post ipsas preconizationes manifestentur et denuntientur palam in burgo Lugani in duobus diebus mercati sequentibus ad portam domus regiminis dicte comunitatis, antequam ipsa venditio compleatur nec perficiatur; et si aliter facte fuerint, de cetero nullius sint momenti et valoris, non obstante aliquo statuto.

CCLXXVIII. De molinario qui tenetur macinare.

Item statutum est, quod quilibet molinarius teneatur et debeat macinare bladum cuilibet persone macinare volenti sub pena soldorum viginti terciolorum qualibet vice.

CCLXXX. De molinario qui tenetur consignare.

Item statutum est, quod quilibet molinarius teneatur et debeat consignasse totum bladum quod acciperit ad macinandum, bene macinatum et ordinatum in farinam infra tertiam diem ad domum illius cuius est dictum bladum, et hoc sub pena soldorum decem terciolorum pro quolibet et qualibet vice.

CCLXXXI. De aqua tenenda in rugia²⁾ per molinarium.

Item statutum est, quod quilibet molinarius teneatur et debeat tenere aquam in rugia sui molandini et rugiam apta-

¹⁾ Ba: by des Trometers Stimme.

²⁾ Ba: Tych, Mülibach.

tam tenere taliter quod aqua non exeat dictam rugiam nec damnum seu lesionem inferat alicui terre vel strate, sub pena soldorum viginti¹⁾ terciolorum qualibet vice, et restituere damnum illi qui passus fuerit, et quilibet possit accusare cum eius iuramento et vno teste fide digno, et habeat medietatem condemnationis. Et si dicta rugia transiret aliquam stratam, quod ille molinarius cuius est ipsum molandinum proprium vel alieno nomine tenet, teneatur manutenere vnum pontem sufficientem super dicta rugia sub pena predicta.

CCLXXXII. De sepiibus remondandis.

Item statutum est, quod omnes sepes seu cese que sunt super stratis et accessiis Lugani et vallis et ripperie debeant remondari²⁾ bis in anno, scilicet de mense madii³⁾ et de mense augusti, et hoc sub pena et banno soldorum decem terciolorum pro qualibet sepe seu cesa et qualibet vice, et quilibet possit accusare cum sacramento et vno teste fide digno, et plena fides adhibeatur campariis seu officialibus ad hoc deputatis et deputandis sine alio teste, medietas cuius condemnationis sit comunitatis et altera accusatoris.

CCLXXXIII. De diebus in quibus prohibitum est facere mercatum.⁴⁾

Item statutum est, quod in diebus infrascriptis, videlicet die prima mensis ianuarii propter festum Circumcisionis Domini nostri Yesu Christi, die prima mensis madii propter festum sanctorum Jacobi et Filipi apostolorum, die prima mensis nouembris propter festum Omnium Sanctorum de cetero non fiat mercatum in burgo nec valle Lugani, nec etiam in aliquo festo beate virginis Marie, sed fiat dictum mercatum diebus immediate sequentibus ipsa festa.

CCLXXXIIII. De columbis non capiendis.

Item statutum est, quod non sit aliqua persona que audeat nec presumat capere aliquos columbos aliquo modo vel ingenio sub pena librarum trium terciolorum pro quolibet columbo, et stetur sacramento accusatoris cum vno teste fide digno.

¹⁾ Be, B und T: pena librarum trium.

²⁾ Ba: gestümplet werden.

³⁾ T: maii.

⁴⁾ Dieses und die zwei folgenden Capitel fehlen in T.

CCLXXXV. De principali debitore conueniendo
per fideiussorem.

Item statutum est, quod si aliquis obligatus fuerit pro aliquo alio fideiussorio nomine vel alio modo et appareat per instrumentum, quod debitum pro quo obligatus fuerit cesserit in vtilitatem tantum illius ad cuius preces fuerit fideiussor vel promissor, et ille qui fuerit fideiussor vel promissor conueniatur per creditorem, quod ad instantiam illius qui fuerit fideiussor vel promissor dictus principalis debitor possit et debeat realiter et personaliter conueniri pro debito et expensis. Et si per instrumentum non appareat de predictis, quod non possit personaliter conueniri. Sed salua sit dicto fideiussori seu promissori omnis sua actio et ratio contra dictum principalem debitorem; nec per hoc statutum fiat nec generetur preiudicium alicui alii statuto facto super fideiussoribus in datiis et maleficiis datis et eorum occasione.

Spätere Zusätze der Handschrift A:

CCLXXXVI. De pena notariorum qui exercent
officium procure.¹⁾

Item statutum est, quod nullus exercens seu qui pro tempore²⁾ exercebit officium tabellionatus banci officii notarie dicte comunitatis sub domino capitaneo vel eius vicario possit nec debeat officium procuratoris exercere nec in aliqua causa procurare vel syndicare³⁾ seu actorio nomine comparere sub pena librarum X terciolorum cuilibet contrafacienti et qualibet vice, et quilibet possit accusare, et est⁴⁾ medietas accusantis, et dominus capitaneus vel eius vicarius teneatur singulis sex mensibus inquirere generaliter committentes contra presens statutum.

CCLXXXVII. De forma pronuntiationis maioris
etatis.

Item statutum est, quod quicumque fuerit pronuntiatus per dominum capitaneum seu eius vicarium maior decem-octo annis cum iuramento duorum affinium, qui iurent in manibus domini capitanei seu eius vicarii, illum seu illam, qui vel que pronuntiari debet, fore et esse annorum decem-octo etatis vel plurium, quod tunc et eo casu ille talis pro-

¹⁾ Dieses Capitel steht in B und T hinter Cap. 41, in Be fehlt es.

²⁾ T: per tempora.

³⁾ T: sindicario.

⁴⁾ T: sit.

nuntiatus sit et habeatur pro maiore et possit contrahere, distrahere, se obligare, in iudicio stare et quecumque alia facere sicut quilibet maior, et eius contractus sint validi et firmiter obseruentur.

Finis statutorum ciuiliū.

Hier endet die Handschrift A. Die Handschriften B und T schliessen noch als cap. 288 (Quod leges et iura comunia seruentur vbi desinunt statuta) das in A unter cap. 220 Enthaltene an. Be fügt bei: Sapiens et egregius legum doctor dominus Johannes Bonus de Madiis de Sallis, dominus Giraldus Carulus, Donatus Castanea, ambo causidici dicte vallis Lugani, et Antonius Martella notarius publicus Lugani.

In Be steht hinter den Statuta civilia folgender Eintrag:

Dux Mediolani, Papie Anglerieque comes ac Cremone Dominus. Dilecti nostri cum multipliciter et quotidianis subditorum nostrorum querelis vexarentur ob eas que jugiter exsuscitabantur querelas super distribuendis et soluendis oneribus tam per nos et cameram nostram quam aliter necessario incumbentibus, Nos quorum est cura potissima vt subditorum ipsorum nostrorum quantum fieri queat comodis tranquillitati et omni conuenientie et quieti consulatur, vtque onera illa, que declinari et auerti non possunt, adhibita saltem omni possibili equalitate tollerentur, compillari nuper et stabiliri fecimus ordinem quendam sub capitulis tribus, quorum dispositione plurimas ex huiusmodi controuersiis et differentiis declarari et dirimi et onera ipsorum non minima parte recte et liquide distribui posse confidimus. Volumus igitur vt ordines ipsos in locis isthuc consuetis diulgari et publicari ac in volumine aliorum ordinum et decretorum nostrorum inseri facientes illos in posterum in casibus qui incomprehenduntur seruetis ac inuiolabiliter obseruari faciatis. Datum Mediolani die XIII februaryi MCCCCLXI. Vincentius.

a tergo, nob. et sapientibus ac prudentibus viris potestati doctori et refferendario ac deputatis ad negotia comunis ciuitatis nostre nec non capitaneo lacus Comi.

Ordines noui seruandi circa onerum solutionem a kalendis mensis Januarii 14LXI in antea:

Primo quod quicumque ciuis esset originarius vel ex priuilegio, qui habitet cum familia sua vel maiore parte familie a festo sancti Martini vsque ad kalendas Junii vel aliqua parte ipsius temporis que minor diebus octo continuis non existat, in aliqua terra, castello, burgo, loco, villa, cassina, hospitio, molandino vel taberna nobis tam mediate quam immediate subdito vel

subdita, siue ibi laborauerit vel laborare fecerit terras ad suas manus siue non, et siue fecerit ibi aliquod exercitium siue non, teneatur toto tempore quo estimum tunc vigens durauerit, quod quidem de quinquennio in quinquennium debeat reformari, ibidem contribuere ad onera ipsi loco per nos et cameram nostram imposita et imponenda, nec non ad alia aliter incumbentia pro bonis que ibidem habuerit non tantum cum villicis seu cum vicinis, sed cum nobilibus si ibi aderunt, vel separatim, nisi specialem haberent exemptionem seu immunitatem. Circa onus autem salis seruentur ordines super sale specialiter facti, videlicet vt leuare teneantur sal vbi habitant separatim tamen et non cum vicinis seu in (Lücke) in qua habitant, cum hac tamen declaratione quod id quod supra dicerentur de ciuibus foris habitantibus, intelligatur de his qui extra ciuitatem habitare reperientur post festum sancti Martini nunc proxime futurum, ad hoc vt ciuibus ipsis spatium relinquatur deliberandi, vtrum foris an in ciuitate velint residere.

Statuta criminalia.

I. De potestate domini capitanei inquirendi absque denuntiatione nec accusa.

Item suprascripti statutarii¹⁾ statuerunt et ordinauerunt, quod capitaneus dicte communitatis vel²⁾ eius vicarius ex eorum officio possint et debeant inquirere et processum facere de quibuscunque maleficiis et delictis, que de cetero in territorio dicte communitatis committentur et perpetrabuntur, et de ipsis malefactores et transgressores punire et condemnare, non obstante quod de ipsis maleficiis accusatio vel³⁾ querela delata non fuerit, aliquo iure in contrarium non obstante.

¹⁾ Be: Vt temerariorum audatia compescatur et delicta non transeant impunita, sed potius sciat vnusquisque se meritis penis statutalibus subiacere et a iure vindictam prout ipsius opera exigent accepturum, primo igitur infrascripti Bonellus de Cayinis (Caymis?) vicarius, dominus Albertinus de Quadrio, magister Laurentius de Seregnio et Johanolus de Bancho statutarii vt supra.

²⁾ Be: vt rector comunitatis comitatus vallis Lugani et ripperie et.

³⁾ Be: vel denuntiatio seu.

II. Ex quibus delictis capitaneus non potest inquirere.

Item statutum est, quod capitaneus¹⁾ et eius vicarius non possit ex eius officio inquirere de maleficiis, vbi non ingeritur pena sanguinis, ante introitum sui regiminis commissis per menses sex, sed (nec?) possit causam recipere de maleficiis quandocunque²⁾ commissis, saluo quod si de aliquo maleficio per predecessorem suum incepta fuerit inquisitio aut processus formatus, tunc teneatur dominus capitaneus³⁾ processum expedire, proseguere et finire, et quod non possit dominus capitaneus vel vicarius aliquam personam de aliquo maleficio vel delicto ante finem sui regiminis per decem dies absoluerere vel condemnare.

III. De delictis specialiter non punitis.

Item statutum est, quod de quolibet crimine, cuius non est in statutis communitatis Lugani pena comprehensa, puniatur delinquens pecunialiter extra ordinem arbitrio capitanei pro modo delicti et qualitate personarum delinquentium et aliarum personarum, in quibus crimen fuerit commissum, vsque ad libras quinquaginta tertiorum.

III. De pena volentis adulterare.

Item statutum est, quod capitaneus habeat arbitrium super delictis adulteriorum et fortiis faciendis seu que fient mulieribus de cetero causa adulterii, puniendi et condemnandi quemlibet committentem delictum in aliquam mulierem causa adulterii vsque ad libras trecentas⁴⁾ tertiorum pro quolibet delicto secundum qualitatem personarum, locorum vel delicti, et non vltra, sed ab ipsa quantitate librarum trecentum⁵⁾ infra, secundum qualitatem personarum, locorum vel delictorum habeat arbitrium vt dictum est, et quod pena dicti statuti habeat locum in quacunque muliere, cuiuscunque conditionis et status existat, violata, vel que de cetero violaretur per vim, fortiam vel raptum, dum non sit publica meretrix vel communis.

¹⁾ Be: capitaneus seu rector communitatis dicti comitatus vallis L. et r.

²⁾ Be: ante suum regimen quandocunque.

³⁾ Be: capitaneus vel rector.

⁴⁾ Be: libras decem.

⁵⁾ Be: centum.

V.¹⁾ Dies termini non computetur in termino.

Item statutum est, quod in causis maleficiorum et processibus quibuscunque factis per capitaneum vel eius vicarium dies termini non computetur in termino.

VI. In delictis omni die procedi posse.

Item statutum est, quod capitaneus et eius vicarius et vterque ipsorum possit inquirere, procedere et condemnare quocunque die et tempore tam feriato quam non feriato.

VII. De modo procedendi contra homicidas et eorum bona.

Item statutum est, quod si quis de cetero homicidium fecerit in aliqua parte dicte communitatis et ad rationem venerit et conuictus fuerit vel confessus, capite puniatur; si vero non venerit, in banno ponatur de homicidio, de quo exire non possit, siue occiderit cum gladio vetito siue non vetito; et si in fortiam dicte communitatis peruenerit, capite puniatur vt supra, et non prosit ei pax, et capitaneus quomodocunque teneatur operam cum effectu dare toto posse ad tales homicidas capiendum; in supradictis omnibus casibus bona publicentur et in communitatem predictam perueniant. Saluo iure creditorum contra communitatem predictam et bona que fuerint homicide, et saluo iure descendendum homicide, ita quod quilibet descendens habeat suam legitimam portionem, et legitima intelligatur, quod fiat diuisio pro numero liberorum et descendendum pro rata equalibus portionibus, et quod de parte homicide, que peruenire debet in dictam communitatem, medietas sit communitatis et alia heredum occisi. Teneaturque capitaneus per officium facere peruenire dictam partem dicti homicide tam in communitatem quam in heredes occisi; nisi occisus esset in banno maleficii, vel nisi de nocte, in domo vel curte sua eum inuenerit cum vxore vel sorore vel filia vel matre turpiter vel malo ordine cum eis vel aliqua earum stantem vel furantem.

VIII. De homicidiis perpetratis inter parentes.

Item statutum est, quod si quis pater filium vel filiam, si filius vel filia patrem vel matrem, si mater filium vel filiam, si frater fratrem vel sororem, si soror fratrem vel sororem, si vxor maritum, si maritus vxorem mediate seu ap-

¹⁾ Dasselbe unten cap. 138.

pensate occiderit vel occidi fecerit de cetero, occidatur non obstante beneficio pacis nec alio statuto huic contrario. Saluo si occiderit se defendendo et legitime probatum fuerit, eo casu habeat locum beneficium pacis et possit redimere caput.¹⁾

VIII. De pena mulieris necantis filium proprium.

Item statutum est, quod quelibet mulier que necauerit vel occiderit filium vel filiam, comburatur ita quod moriatur, beneficio pacis alicuius non obstante.

X. De pena facientis per alium homicidium perpetrari.

Item statutum est, quod si quis aliquod homicidium fieri fecerit vel aliquem interfici, puniatur eodem modo ac si ipsemet fecisset vel interfecisset.

XI. De pena suppositi iurisdictioni homicidium committentis extra iurisdictionem in suppositum.

Item statutum est, si quis suppositus iurisdictioni communitatis vallis Lugani et ripperie interfecerit aliquem dicte communitatis extra iurisdictionem ipsius communitatis et peruenerit in fortiam domini capitanei, amputetur ei caput ita quod moriatur; saluo si habuerit pacem infra vnum mensem; quam si habuerit infra dictum mensem, soluat predictae communitati libras ducentum tertiorum; quas nisi soluerit infra sex menses, amputetur ei dextera manus. Et si non peruenerit in fortiam domini capitanei, banniat de maleficio et bona sua publicentur in communitatem, ita quod si postmodum in fortiam capitanei peruenerit, moriatur. Et quod vbi fit mentio de pace habenda, intelligatur ipsa pax esse facta ab offenso vel eius heredibus vel a curatore ventris volente matre et consentiente vel actore minoris, et quod quodlibet instrumentum pacis possit presentari per procuratorem ad hoc specialiter constitutum, aliquo alio statuto vel iure in contrarium faciente non obstante.

XII. De pena percutientis cum gladio vel sine.

Item statutum est, si quis de cetero in tota iurisdictione Lugani cum gladio vel sine percusserit aliquem, ex qua per-

¹⁾ Be fügt bei: si soluerit communitati predictae libras ducentum tertiorum infra vnum mensem et non aliter.

cussione debilitatum fuerit aliquod membrum, condemnetur in amputatione similis membri, saluo si infra vnum mensem soluerit libras tercentum tertiorum, medietas cuius pene perueniat in communitatem dicti comitatus vallis Lugani et ripperie et alia medietas in illum cui debilitatum fuerit dictum membrum. Et teneatur capitaneus vel eius vicarius exigere vel exigi facere tam partem tangentem communitati quam offense persone. Et si quis percusserit de gladio aliquem nobilem, capitaneum vel valuasorem in vultu, ex qua percussione sanguis exierit et cicatrix remanserit, soluat pro banno communitati predictae pro qualibet percussione et cicatrice libras centumquingenta tertiorum. Si autem alibi quam in vultu, siue cicatrix remanserit siue non, soluat tantum libras centum tertiorum. Si burgensem percusserit de gladio vt supra et cicatrix remanserit, soluat pro banno communitati predictae libras septuagintaquinque; si autem alibi quam in vultu vt supra, libras quinquaginta tertiorum. Et si rusticum percusserit de gladio vt supra et cicatrix remanserit, soluat pro banno communitati predictae libras triginta septem et solidos decem tertiorum; et si alibi quam in vultu, libras viginti quinque tertiorum. Si vero percussio facta fuerit contra aliquem nobilem, capitaneum vel valuasorem cum gladio et sanguis non exierit, soluat percussor pro qualibet percussione¹⁾ libras quinquaginta tertiorum; et si contra burgensem, libras viginti quinque tertiorum; et si contra rusticum, libras duodecim et solidos decem tertiorum. Si autem quis percusserit nobilem, capitaneum vel valuasorem sine gladio²⁾ et sanguis exierit, soluat pro banno communitati predictae pro qualibet percussione libras septuagintaquinque tertiorum; si burgensem, libras trigintaseptem et solidos decem tertiorum. Et si percusserit nobilem, capitaneum vel vauasorem sine gladio et sanguis non exierit, soluat pro banno¹⁾ pro qualibet percussione libras triginta tertiorum; si burgensem, libras quindecim tertiorum; si rusticum, libras septem et solidos decem tertiorum. Et pena librarum decem tertiorum puniatur quilibet qui lanauerit aliquem vel manum irato animo alicui in capucio posuerit vel aliquem per terram prostrauerit, et in quolibet predictorum casuum augeatur medietas pene, si percussio, laniatio vel manusmissio in capucio facta fuerit sub vel in domo regiminis³⁾ burgi Lugani vel

¹⁾ Be: communitati predictae.

²⁾ Be: cum gladio.

³⁾ Be: sub coperto nouo regiminis.

alibi coram capitaneo vel eius vicario, preterquam si debilitatum fuerit membrum alicui, quod remaneat firma pena superius limitata. Saluo quod si debilitans membrum vel aliter percutiens habuerit pacem cum persona offensa vel eius heredibus vsque ad quindecim dies a die maleficii perpetrati numerandas vel antequam condemnatio fiat, remittatur ei pena in medietate. Et quicumque confitens quodcunque crimen, quando respondet inquisitioni vel¹⁾ accuse, in quo pena pecuniaria ingeritur, remissionem habeat quarte partis pene predictae, sed quod predictae remissiones non habeant locum in questionibus datiorum et pedagiorum; et quod appellatione gladii omne genus armorum intelligatur.

XIII. De pena occupantis rem alienam immobilem.

Item statutum est, quod si quis de cetero occupauerit vel intrauerit possessionem alicuius rei immobilis alterius persone seu collegii vel vniuersitatis, soluat pro banno qualibet vice libras ducentum tertiorum. Insuper restituat possessionem illi seu illis cuius seu quorum esset, seu illis quorum nomine tenebatur. Idem seruetur in quasi possessione rei vel iuris, non obstante aliqua prescriptione decem vel viginti annorum, applicanda dicta pena communitati predictae.²⁾

XIIII. De veritate dicenda per sacramentum in causis maleficiorum.

Item statutum est, si alicui iurisdictionis communitatis vallis Lugani et ripperie furtum factum fuerit et maleficium, et querimoniam ipse fecerit de aliquo qui sciat veritatem de dicto furto vel maleficio, personam furis vel malefactoris teneatur per sacramentum ille de quo querimonia facta fuerit, manifestare et omnem veritatem de ipso furto vel maleficio ex persona furis et malefactoris.

XV. De pena minantis in persona vel rebus.

Item statutum est, quod si quis iurauerit mortem alicui in iurisdictione dicte communitatis vallis Lugani et ripperie vel extra, soluat pro banno libras viginti quinque tertiorum

¹⁾ Be: vel denuntiationi vel.

²⁾ Be hat die letzten fünf Worte nicht, schliesst dagegen noch folgendes Capitel an:

Item statutum est, vt idem in omnibus et per omnia in omnibus vastis et damnis et causis ipsorum damnorum et vastorum predicta omnia statuta valeant et obtineant in precedentibus et futuris litibus et causis.

aut banniat, de quo banno non exeat, nisi soluerit libras vigintiquinque tertiorum¹⁾ et insuper satisdederit per bonum fideiussorem, quod non occidet illum cui mortem minatus fuerit aliquo tempore nec occidere faciet. Et idem intelligatur in eo qui iurauerit ponere vel facere incendium vel vas-tum in rebus alicuius. Et quod capitaneus vel eius vicarius possint compellere quamlibet personam, que minas fecerit contra aliam personam de offendendo eam in persona vel in rebus, ad faciendum securitatem vsque ad quantitatem librarum tercentum secundum qualitatem delicti et personarum, quod illam personam non offendet per se nec per alium personaliter nec realiter; et si dicta persona recusaret facere dictam satisfactionem, quod possit teneri in carceribus vsque quo fecerit dictam securitatem; et si postea contrafecerit, medietas pene securitatis predictae perueniat in communitatem et altera medietas in personam offensam vel eius heredibus, et nichilominus offendens puniatur secundum formam statutorum et iuris.

XVI. Contra inuentum de nocte in horto vel domo alterius.

Item statutum est, si aliqua persona fuerit inuenta de nocte in domo siue curte, clauso siue horto contiguo domui vel curti alicuius et damnum aliquod vel offensio in persona vel in rebus acciderit vel factum fuerit illi qui fuerit inuentus, nullum damnum neque bannum patiat, ille qui damnum vel malum fecerit illi quem inuenerit.

XVII. De offensa illata bannito de vita.

Item statutum est, quod si qua offensa facta vel commissa fuerit in persona vel rebus banniti de maleficio, ex quo maleficio ipse bannitus sit capite puniendus seu debeat perdere vitam, quod dictus offendens ex hoc damnum nullum patiat, et contra eum nullatenus procedatur, saluo quod per hoc statutum nullum preiudicium fiat communitati predictae in iuribus que habebit in bonis banniti.

XVIII. De furto in domo alicuius reperto.

Item statutum est, quod si repertum fuerit furtum a solidis duodecim supra vsque ad libras decem in domo alicuius in qua habitat, soluat pro banno libras quindecim tertiorum, nisi ostenderit et probauerit illam personam que ipsum

¹⁾ Be hat hier und im Folgenden meistens nostrorum statt tertiorum.

furtum in ipsa domo posuerit et portauerit, siue sit sua domus siue eam alterius nomine teneat, et si vero non habuerit unde soluat, detur ei bannum in persona et in rebus, de quo non exeat nisi prius soluerit supradictas libras quindecim, nisi fuerit hospes.

XVIII. De fure capto et pena ipsius.

Item statutum est, si quis de cetero in iurisdictione communitatis predictae comitatus vallis Lugani et ripperie fecerit furtum a libris vigintiquinque tertiorum supra, suspendatur taliter quod moriatur, si peruenerit in fortiam communitatis predictae; si vero non peruenerit in fortiam ut supra, banniatu de vita et bona eius publicentur. Si vero fuerit furtum a solidis centum tertiorum supra usque ad libras vigintiquinque, amputetur ei vnus pes pro primo furto, saluo quod possit redimere ipsum pedem, si soluerit libras centum infra vnum mensem et damnum restituerit passo; pro secundo vero furto amputetur ei vna manus, saluo quod ipsam possit redimere, si soluerit libras centum infra vnum mensem et damnum restituerit passo ut supra. Et hoc vltra penam primi furci. Si autem vltra duo furta fecerit que simul excedant summam librarum decem tertiorum, suspendatur ita quod moriatur, et hoc si in fortiam dicte communitatis peruenerit; sin autem, banniatu de maleficio furci; et si postmodum in fortiam dicti comitatus peruenerit, postquam steterit in banno per quindecim dies, patiatu illam penam superius determinatam ac si confessus fuerit. Si autem furtum fuerit de solidis centum tertiorum vel a solidis centum infra usque ad solidos vigintiquinque¹⁾, puniatur in libris vigintiquinque tertiorum, et si bannum receperit ipsa occasione condemnatur in duplo. Si vero de solidis vigintiquinque¹⁾ tantum vel a solidis vigintiquinque¹⁾ infra furtum fecerit, soluat solidos centum tertiorum vel ponatur in berlina.

XX. De pena committentium furtum.

Item statutum est, quod si plures fecerint vel faciant aliquod furtum, de quo possint puniri, et²⁾ predictis quantitibus vel aliqua earum, seu de aliqua vel aliquibus rebus que valeat seu que valeant usque ad predictas quantitates vel aliquam earum in proxime precedenti capitulo statuti descripto, quilibet ipsorum furum puniatur et condemnatur in persona et ere sicut si vnus ipsorum solus fecisset ipsum

¹⁾ Be: viginti.

²⁾ Be: de.

furtum vel furta, et non fiat aliqua diuisio quantitatis rei furate inter eos, sed tanquam quantitatem solidam quilibet eorum furatus fuisset puniatur, saluo quod quilibet eorum possit redimere pedem manumque, prout in proxime precedenti statuto continetur.

XXI. De fure capto consignando.

Item statutum est, si quis ceperit furem vel latronem, consignet eum capitaneo communitatis predictae, et si quis dimiserit ire sine parabola, capitaneo soluat pro banno libras quinquaginta tertiorum, et quilibet possit accusare, medietas cuius banni sit communitatis et alia accusatoris.

XXII. De damno dato per incendium vel vastum in quacunque domo.

Item statutum est, si quis dicte communitatis et eius iurisdictionis vel aliunde amodo in antea vastum fecerit vel incendium videlicet de rebus aliis quam de domo habitata vel inhabitata a solidis duodecim supra, manum amittat aut ipsam redimat libris quinquaginta tertiorum¹⁾ et minus arbitrio capitanei, inspecta qualitate persone et facti, et insuper reddat damnum passo.

XXIII. De pena comburentis domum.

Item statutum est, si quis combusserit seu comburi fecerit domum habitatam vel non habitatam, caput amittat siue comburatur ita quod moriatur, aut redimat personam suam pro libris tercentum tertiorum, que perueniant in communitatem predictam dicti comitatus vallis Lugani et ripperie; quam penam soluere possit infra sex menses; et insuper reddat damnum passo in duplum; et si in ipso incendio mortua fuerit aliqua persona, quod suspendatur ita quod moriatur. Et predicta seruentur non obstante aliquo alio statuto; nec possit dicto proximo casu aliqualiter vitam redimere.

XXIII. De pena capientis fortilitiam.²⁾

Item statutum est, si quis ceperit aliquam turrem vel castrum aut aliquam fortilitiam dicte communitatis seu in

¹⁾ Be: libris viginti quinque nostrorum.

²⁾ Vgl. cap. 59.

dicta communitate in dedecus dicte communitatis, vel occasione alicuius diuisionis vel rixe que sit in dicta communitate, soluat pro banno qualibet vice libras quinquecentum tertiorum dicte communitati; et si petita fuerit ab eo qui eam ceperit per communitatem vel per aliam personam, que obtinuerit vices communitatis, et non dederit ea die seu non dederint qua petita fuerit, soluat pro banno alias libras quinquecentum tertiorum et vastum ei vel eis fiat in bonis suis; et si per communitatem vel per gerentes vices eius requisita fuerit secunda vice et non tradiderit vel non tradiderint, statim banniantur de vita tanquam rebelles dicte communitatis et bona sua publicentur et in communitatem perueniant; et si peruenerint in fortiam communitatis, postquam perseuerauerint in banno per quindecim dies, furcis suspendantur et capitaneus teneatur bona fide quam citius poterit recuperare in communitatem ipsum castrum seu turrem vel fortilitium.

XXV. De pena rumpentis pacem aut treguam.

Item statutum est, quod si aliqua persona ruperit pacem factam vel treguam factam vel datam, condemnetur in libris centum tertiorum et domus ei destruaturs exceptis muris communibus, vt alibi legitur, et possessiones sue omnes deuastentur bona fide et de iurisdictione dicte communitatis expellatur nec deinde reuertatur sine parabola illius cuius facta fuerit offensio vel eius heredum, si mortuus fuerit ille cui pax fuerit rupta; banniatur et interim in banno dicte communitatis permaneat, donec habuerit parabolam et soluerit dictas libras centum tertiorum, et hoc nisi predicta facta fuerint in bannitis vel bannito de maleficio et ex causa maleficii, propter quod debeat perdere vitam.

XXVI. De pena apponenda inter discordes et pacem negantes.

Item statutum est, quod si capitaneus seu eius vicarius qui pro tempore fuerit inter homines qui habeant aliquam discordiam inter se pacem et treguam fecerint vel preceperint, et aliqua fuerit pena apposita, quod medietas illius pene perueniat communitati et alia medietas ei vel eis seu eius vel eorum heredibus, cui vel quibus pax seu tregua fuerit rupta, quam penam totam capitaneus seu eius vicarius teneatur exigere seu exigi facere et peruenire vt supra, nisi pax seu tregua rupta fuerit bannito maleficii ex causa maleficii, propter quod debeat perdere vitam.

XXVII. De pena facientis aut producentis
chartam falsam.

Item statutum est, si quis aliquam chartam vel condemnationem falsam fieri fecerit vel aliquod instrumentum seu aliquam scripturam, chartam, instrumentum, condemnationem vel scripturam iam falsam produxerit, sciens illam seu illud falsam seu falsum esse, amputetur ei vna manus seu soluat communitati libras ducentum tertiorum¹⁾ et fides auferatur ei in perpetuum, et illa persona que dictum instrumentum, condemnationem seu chartam scripserit, manus ei amputetur et ei fides auferatur in perpetuum. Et ille qui dixerit sub capitaneo vel eius vicario condemnationem, chartam vel scripturam falsam seu instrumentum falsum esse et probare voluerit de ipsa falsitate, iuret ad sancta Dei euangelia tactis scripturis, credere et habere suspicionem certam, quod charta ipsa, condemnatio, scriptura seu instrumentum sit falsa seu falsum, et postea procedat et capitaneus seu vicarius teneatur ex officio suo inquirere ipsam falsitatem, et ille qui iurauerit chartam, instrumentum, condemnationem seu scripturam falsam seu falsum, et probare non poterit, soluat illi seu illis, cum quibus seu cum quo fuerit in causa, occasione dicte falsitatis omnes expensas factas legitime et vltra libras centum tertiorum.²⁾ Saluo tamen quod non auferatur fides illi seu illis qui habent seu haberent cessionem seu donationem de ipsa charta, condemnatione, scriptura seu instrumento, nisi vsus fuerit scienter dicta cessione seu donatione, quo casu auferatur ei fides. Sed tantum auferatur fides illi seu illis qui fecisset seu dedisset ipsam cessionem vel donationem, et illi qui fecerit falsam fieri et illi qui scripserit et subscripserit. Et quod dicta causa falsitatis probetur et terminetur infra triginta dies, et nichilominus procedatur in causa principali ac si oppositio falsitatis non esset obiecta. Saluo quod non intelligantur supradicte pene in scribente seu facientibus aliquam scripturam priuatam vel aliquem actum iudiciarium, in quo non apponantur testes, sed in illo casu capitaneus seu vicarius habeat arbitrium condemnandi vsque ad quantitatem librarum centum tertiorum et minus pro qualitate delicti. Et nichilominus teneatur ad solutionem damni dati illi contra quem facta fuerit scriptura falsa. Et quod predictae pene non habeant locum in scribente rogata³⁾ alicuius tabellionis, sed habeant locum contra illum qui tradiderit seu scribi fecerit eius rogatum³⁾, si se subscripserit.

¹⁾ Be: libras centum nostrorum.

²⁾ et vltra etc. fehlt in Be.

³⁾ Be: rogatu.

XXVIII. De pena facientis fieri citationem
per non seruitorem.

Item statutum est, si quis fecerit aliquem requiri per non seruitorem, componat pro banno communitati predictae libras decem tertiorum aut in banno ponatur, de quo non exeat nisi soluerit libras decem tertiorum, et requirens simili pena mulctetur et fruatur, et quilibet possit accusare, medietas cuius banni sit communitatis et alia accusatoris. Saluo quod hanc penam euitet faciens requiri, si iurauerit se nescire ipsum esse seruitorem¹⁾, et quod non habeat locum pro factis Domini et communitatis.

XXVIII. De pena facientis se seruitorem.

Item statutum est, si quis fecerit se seruitorem et fecerit ambasciatam seu ambasciatas tanquam seruator, et non erit, soluat pro banno libras decem tertiorum pro qualibet vice aut in banno ponatur, de quo non exeat, nisi soluerit libras decem tertiorum, et quilibet possit accusare, medietas cuius banni sit communitatis et alia medietas accusatoris. Et nemo possit exercere nec facere officium seruitorie qui stet pro familiare alicuius persone dicte iurisdictionis communitatis vallis Lugani et ripperie.

XXX. De pena iurantis vel periurium pro-
ferentis aut mentitum dantis coram domino
capitano.

Item statutum est, si quis iurauerit coram capitaneo vel eius vicario in causa aliquod periurium, soluat pro banno libras tres tertiorum, que pena trium librarum bona fide a capitaneo exigatur; et si quis dixerit in causa: mentiris, soluat pro banno libras tres tertiorum; et si quis vocauerit aliquod periurium²⁾ coram capitaneo vel eius vicario, qui sibi³⁾ fecerit aliquod sacramentum, incontinenti soluat pro banno libras tres tertiorum.

XXXI. De pena officialis facientis dolo contra
eius iuramentum.

Item statutum est, si quis qui fuerit in aliquo officio communitatis predicti comitatus vallis Lugani et ripperie, fecerit dolo vel fraude contra hoc quod iurauerit, soluat pro banno

¹⁾ Be: non esse servitorem. Das Folgende fehlt in Be.

²⁾ Be: aliquem periurum.

³⁾ Be: ibi.

qualibet vice libras quinquaginta tertiorum et expellatur de officio; si non soluerit, banniatur, de quo banno non exeat nisi soluerit libras quinquaginta tertiorum, quibus solutis nichilominus a beneficio¹⁾ perpetuo sit remotus.

XXXII. De pena ordinantis quod nullus conqueratur coram capitaneo.

Item statutum est, si quis pro communi statuerit vel preceperit inter vicinos suos, quod nullus vicinorum veniat conqueri coram capitaneo vel eius vicario de aliquo facto, si fuerit villa, soluat pro banno libras decem tertiorum; si fuerit burgum, soluat pro banno libras viginti. Sed liceat consulibus et decanis locorum et burgorum dicte communitatis distringere ad rationem faciendam sub se vicinos suos tantum a quantitate solidorum decem tertiorum infra.²⁾ Saluo eo quod de causis talliarum non liceat eis cognoscere contra voluntatem partium. Et quod omnes cause et questiones totius iurisdictionis predicte vltra predictam quantitatem superius determinatam ventilentur et determinentur coram domino capitaneo vel eius vicario. Et si que sententie darentur de cetero aliter, sint casse et nullius valoris. Et quicumque contrafaciens soluat qualibet vice libras decem tertiorum. Et omnia communia dicte iurisdictionis contrafacientia subiaceant predictis penis. Et quod capitaneus et eius vicarius teneantur quam subtilius poterint sub debito sacramenti inquirere et punire contrafacientes.

XXXIII. De pena incidentis arborem fructiferam.

Item statutum est, quod nulla persona communitatis predicte incidat vel incidere possit aliquam arborem fructuosam alienam³⁾ nec alii vendere nisi per tres dies ante dixerit et denuntiauerit illud in vicinania, in cuius territorio esset illa arbor, et qui hoc contrafecerit, soluat pro banno qualibet vice communitati predicte libras viginti quinque tertiorum⁴⁾ et restituat damnum ipsius arboris domino arboris, et consules et decani locorum et terrarum teneantur sacramento capitaneo vel eius vicario manifestare vel domino arboris infra octo dies omnem

¹⁾ Be: solutis tamen debeat extrahi de ipso banno et beneficio communitatis etc.

²⁾ Be: infra et vsque ad soldos decem nostrorum.

³⁾ alienam fehlt in Be.

⁴⁾ Be: soldos centum nostrorum.

personam contra hoc facientem, postquam sciuerint et cognouerint vel audierint, sine fraude. Et si contrafecerint, soluant de suo proprio ere libras tres tertiorum et quilibet possit accusare, medietas cuius banni sit accusatoris et alia medietas communitalis.

XXXIIII. De pena vetantis bannitum de maleficio capi.

Item statutum est, si aliqua persona dicte communitalis vetuerit capitaneo vel eius vicario qui pro temporibus fuerint vel eorum nuntiis vel consulibus aut decanis burgorum aut terrarum dicte communitalis capere bannitum pro aliquo maleficio, soluat pro banno communitali vnaquaque vice libras viginquique tertiorum aut pignoretur de dicta quantitate, et si bannum non soluerit vel tantum pignorari non poterit, banniat in persona et rebus. Et illa persona que bannitum capere voluerit, teneatur manifestare capitaneo vel eius vicario qui pro temporibus fuerint illam personam vel illas personas vel commune que hoc vetuerit vel vetuerint, et si commune vetuerit, condemnetur in libris centum tertiorum.

XXXV. Quod notarii teneantur facere instrumenta infra statutum tempus.

Item statutum est, si aliquis tabellio seu notarius, qui tradidit aliquod instrumentum de¹⁾ aliqua condemnatione seu obligatione, quod teneatur facere chartam infra duos menses a tempore ipsius contractus vel obligationis citra ex quo solutus fuerit; quod si non fecerit, teneatur instrumentum facere pretio conuento vel arbitrio consulis sine aliquo pretio dato vel accepto pro cercatura, et qui contra hoc fecerit, soluat pro banno solidos quinquaginta²⁾ tertiorum, et quilibet possit accusare, cuius medietas banni sit accusatoris et altera communitalis.

XXXVI. De solemnitatibus apponendis in instrumentis.

Item statutum est, quod quicumque notarii qui faciunt instrumenta, in ipsis instrumentis ponere teneantur nomina et cognomina contrahentium et nomina et cognomina eorum patrum et testium, qui ipsis instrumentis presentes erunt, teneanturque ipsa instrumenta imbreuiare et legere coram contra-

¹⁾ Be: de aliquo contractu vel de.

²⁾ Be: quadraginta.

hentibus et testibus antequam tradant, et in ipsis instrumentis ponant ad minus duos testes eis notos et qui cognoscant contrahentes, inquantum ipsi notarii non cognoscant contrahentes; et qui contrafecerit, soluat communitati predictae libras viginti-quinque tertiorum pro qualibet vice. Qui predicti notarii sub eadem pena teneantur ponere in quaternis eorum distincte omnia substantialia cuiuslibet instrumenti infra octo dies postquam tradiderint. Et si aliquis notarius dixerit, se non fecisse vel se non recordari fecisse¹⁾ aliquod instrumentum, et probatum fuerit per duos testes asserentes se fuisse presentes traditioni facte per dictum notarium de dicto instrumento, puniatur ille notarius in libris viginti-quinque tertiorum soluendis communitati predictae, et pro cercatura dicti instrumenti non possit aliquid recipi sub pena solidorum quadraginta tertiorum.

XXXVII. De pena facientis scaccum aut robariam.

Item statutum est, si quis de cetero in iurisdictione dicte communitatis vel in toto eius districtu scaccauerit vel robauerit ultra quantitatem solidorum centum tertiorum vel abinde supra in stratis dicte communitatis vel in toto eius districtu et in fortiam communitatis peruenerit, suspendatur vt moriatur; si autem in fortiam communitatis non peruenerit, banniatur de maleficio scacci, de quo banno nullo tempore exire possit; sed si post bannum peruenerit in fortiam communitatis, suspendatur, ac si confessus fuisset predictum maleficio; et si venerit infra quindecim dies post receptionem dicti banni, quo casu non habeatur pro confesso; et a solidis centum infra vsque ad viginti soluat pro banno libras quinquaginta tertiorum aut pes ei amputetur; et si neque²⁾ ad viginti solidos fuerit, soluat pro banno libras viginti-quinque tertiorum aut manus amputetur ei. Et hoc statutum habeat locum in qualibet persona que scaccauerit aliquam personam dicte communitatis extra districtum dicte communitatis.

XXXVIII. De pena abscondentis malefactorem vel dantis operam vt euadat.

Item statutum est, si quis de cetero absconderit seu scampare fecerit aliquem in tota iurisdictione predicta, qui fecisset aliquod homicidium vel maleficio ex quo veniret

¹⁾ Be: vel rogari fecisse.

²⁾ Be: vsque.

perdere vitam, quominus capiatur, siue ei dicto homicide vel malefactori dederit auxilium, consilium vel iuuamen ad euadendum, soluat pro banno libras ducentum¹⁾ terciolorum.

XXXVIII. De preteritis in banno maleficii.

Item statutum est, quod si quis preteritus²⁾ fuerit in banno aliquo maleficii et in eo steterit per quindecim dies, habeatur post quindecim dies predictos ac si fuisset confessus, et puniatur pro qualitate delicti.

XL. Qui teneantur capere homicidas vel facientes fortiam cum sanguine.

Item statutum est, si quis de die fecerit homicidium vel feritam vnde sanguis exeat in aliquo burgo vel villa predictae iurisdictionis, quod homines habitantes in ipso burgo vel villa ipsum malefactorem capere teneantur et ipsum captum in fortiam communitatis seu capitanei consignare, et si quis contrafecerit, si fuerit burgum, soluat pro banno libras viginti quinque terciolorum; si villa, libras decem terciolorum in pecunia numerata; ad quam condemnationem teneantur omnes habitantes exceptis viduis et pupillis et minoribus annis quatuordecim et maioribus septuaginta. Et predicta locum habeant, si predicta facta fuerint de die tantum in burgo seu villa et non extra burgum seu villam, et quod semel tantum puniatur pro ferita seu feritis factis vna vice, licet per plures vna vice facta fuerit, et predicta condemnatio soluatur pro ere tantum.

XLI. Contra proditores castrorum, villarum, terrarum etc.

Item statutum est, quod si quis de cetero prodiderit aliquod castrum, burgum vel villam communitatis predictae dicti comitatus vallis Lugani et ripperie, siue fuerit in tractatu vel consilio vel operam fecerit vt prodatur, capite puniatur ita quod moriatur, et bona eius publicentur et in communitatem predictam perueniant.

XLII. De nuntiis portandis.

Item statutum est, si in aliquo burgo seu villa communitatis dicti comitatus vallis Lugani et ripperie vel eorum territoriis aliquod homicidium factum fuerit seu ferita sanguinolenta, quod commune illius burgi vel loci, si non por-

¹⁾ Be: solvat communitati predictae pro banno libras centum.

²⁾ Be: positus.

tauerit denuntiam dicti homicidii seu ferite domino capitaneo seu eius vicario infra quinque dies, si fuerit burgum, soluat pro¹⁾ homicidio libras quinquaginta tertiorum et de ferita sanguinolenta libras vigintiquinque tertiorum. Et si fuerit villa, soluat pro homicidio communitati libras vigintiquinque tertiorum et pro ferita sanguinolenta libras decem tertiorum. Ad quam penam teneantur omnes habitantes ibi, saluo vidue et pupilli et minores annis quatuordecim et maiores annis septuaginta, et quod dicta pena solvatur pro ere tantum.

XLIII. De pena contra non prosequentem accusam.

Item statutum est, si quis portauerit accusam coram capitaneo vel eius vicario, teneatur dictam accusam prosequi, quam nisi prosequutus fuerit et probauerit, soluat pro banno communitati dicti comitatus vallis Lugani et ripperie libras quinque nostrorum pro qualibet vice; preterquam in casibus in quibus et pro quibus pena corporalis vel sanguinis ingeritur et accusatus cum²⁾ satisfactione non admittitur, teneatur accusans qui dictam causam prosequutus non fuerit et eam non probauerit, soluere libras centum³⁾, et insuper accusato expensas restituat, quas fecerit accusatus toto illo tempore quo stetit captus, tam in custodiis quam in cibo et potu et custodiis, advocatis, procuratoribus et scripturis quas fecerit et substinuerit predicta occasione, etiam si plures essent accusati, quibus teneatur accusans vt supra expensas reficere. Insuper teneatur accusans satisfacere de prosequendo et probando dictam accusam et de penis suprascriptis et de expensis restituendis, et si accusans non fuerit subditus dicto capitaneo seu communitati predictae, cuiuscunque status et conditionis existat, non audiatur, nisi primo idonee satisfactionem de soluendo dictam condemnationem et expensas per accusatos legitime factas, non obstante quod iurare voluerit se non posse satisfacere, saluo si fuerit miserabilis persona, cuius sacramento stetur in diffinitione iudicis.

XLIIII. Pro capiendo malefactore omnes tenentur.

Item statutum est, quod quodlibet commune burgi et loci et quelibet singularis persona dicte iurisdictionis teneatur et debeat dare auxilium et iuuamen in suis territoriis cuilibet volenti capere scaccatores et robatores seu fures famosos et

¹⁾ Be: pro banno vel.

²⁾ Be: sine.

³⁾ Be: decem.

bannitos vel aliquem eorum vel clamanti auxilium adiutorium post ipsos ad capiendum personaliter et in fortiam communitatis consignandos, et si contrafactum fuerit, condemnetur in libris centum tertiorum commune burgi, et commune ville in libris quinquaginta tertiorum, et rector vel missus rectoris qui tunc temporis in ipso burgo vel loco fuerit, in libris decem nostrorum de suo proprio ere, et quelibet singularis persona, que specialiter recusaret et que ibi presens fuerit, in libris decem nostrorum de suo proprio ere. Ad quam penam communis teneantur omnes ibi habitantes preterquam vidue, pupilli, minores annis quatuordecim et maiores annis septuaginta, et predicta pena solvatur pro ere tantum.

XLV. De pena insultum cum gladio facientis.

Item statutum est, quod nulla persona faciat insultum cum gladio contra aliquem nobilem, capitaneum seu vauasorem vel burgensem in tota iurisdictione communitatis vallis Lugani et ripperie, et si fecerit insultum et non percusserit, condemnetur qualibet vice in libris centum¹⁾, si insultus factus fuerit sub coperto (domus) regiminis burgi Lugani vel coram domino capitaneo vel eius vicario; si vero factus fuerit alibi vt supra, soluat pro qualibet vice libras quinquaginta²⁾ nostrorum, excepto quod si assaltus factus fuerit contra rusticum alibi quam sub coperto regiminis et coram domino capitaneo vel eius vicario, puniatur tantum in libris viginti-quinque³⁾ nostrorum. Et quod appellatione gladii omne genus armorum intelligatur.

XLVI. Contra dicentes verba iniuriosa coram domino capitaneo vel vicario.

Item statutum est, si quis dixerit verba iniuriosa coram capitaneo vel eius vicario sub coperto domus regiminis vel alibi, soluat pro banno qualibet vice libras quinque tertiorum, et si alibi dixerit verba iniuriosa, puniatur in solidis quadraginta tertiorum.

XLVII. De pena facientis coniurationem contra rectorem.⁴⁾

Item statutum est, quod nulla persona nec alique persone de cetero presumant facere aliquem conuentum vel conspira-

¹⁾ Be: quinquaginta.

²⁾ Be: decem.

³⁾ Be: quinque.

⁴⁾ Ba: Ufrur oder Bundschuo schweren wider die Oberkeit.

tionem contra honorem domini capitanei seu regiminis dicte communitatis vel contra bonum statum communitatis predictae, et qui contrafecerint, soluant pro banno libras centum tertiorum.

XLVIII. De pena dicentis falsum testimonium vel producentis falsos testes.

Item statutum est, si quis produxerit aliquos falsos testes et falsi probati fuerint vel conuicti per legitimas probationes et non per bannum datum testibus, qui testes dixerint falsum testimonium super illo capitulo super quo producti fuerint, causam in qua eos produxerit, siue criminalis siue non, ipso iure amittat, et insuper condemnetur in libris quinquaginta tertiorum. Et si testis dixerit aliquid falsitatis super alio quam super capitulo super quo producitur, non puniatur de falso nec producens nec testis, nec causam amittat. Testis vero qui falsum testimonium perhibuerit super capitulo dicto¹⁾, coquatur per medium frontem et insuper soluat pro banno libras viginti quinque tertiorum. Si autem in fortiam communitatis non peruenerit, banniatur de falso testimonio et de maleficio, et bona eius publicentur vsque ad dictam quantitatem, et pro confesso habeatur de ipsa falsitate quoad ipsum testem tantum, si in ipso banno perseuerauerit post preteritionem per quindecim dies, et fides ei et producenti in perpetuo auferatur. Et quod si alicui persone, communi, collegio vel vniuersitati delatum fuerit aliquod sacramentum a capitaneo vel eius vicario in aliqua eorum sententia vel alio modo, et ille cui delatum fuerit dictum sacramentum, iurauerit falsum, et de illo falso sacramento legitime probatum fuerit infra tres menses post factum dictum sacramentum, quod ipso iure perdat totam causam in qua dictum falsum sacramentum factum fuerit, et insuper condemnetur in libris quinquaginta tertiorum et perpetuo sit infamis. Et quod quilibet possit accusare. Et si ille qui accusauit aliquem de falso sacramento facto non probauerit, condemnetur in libris decem tertiorum et vltra arbitrio capitanei inspecta qualitate personarum et facti. Eodem modo condemnetur qui falsum sacramentum fecerit delato sacramento a parte parti in iudicio, et idem habeat locum, si delatum fuerit sacramentum per arbitrum vel arbitratorem. Item quod suprascriptum statutum habeat locum super qualibet causa et inquisitione.²⁾

¹⁾ Be: dato.

²⁾ Be: questione.

XLVIII. *Contra capientem aliquem de iurisdictione in ea et extra.*

Item statutum est, quod nulla persona audeat nec presumat capere aliquam personam in tota iurisdictione predicta vel aliquem dicte iurisdictionis extra iurisdictionem dicte communitatis nec ligare manus nec sbadaggiare nec aliquid facere tormentum nec facere redimere; et si quis ceperit solummodo, puniatur in libris centum tertiorum; et si sbadagiaverit vel manus ligauerit vel tormentum ei aliquid fecerit vel redimere fecerit tam sine tormento quam cum tormento, puniatur in libris ducentum et insuper restituat redemptionem, videlicet damnum factum capto. Saluo quod hoc statutum non preiudicet illi statuto facto super illis qui inuenti fuerint in domo vel horto vel in curte alicuius de nocte¹⁾, quod offensio sibi facta sit impunita. Et saluo quod non habeat locum in scutiferis et pedisequis vel aliis furantibus vel fugientibus cum rebus alicuius persone. Et similiter non habeat locum, si quis peteret aliquem postquam clamaretur: capite, vel tenete ipsum latronem siue malefactorem, que persone licite possint capi; et postquam capte fuerint, si sint in iurisdictione, teneantur eos captos consignare ipsa die vel sequenti capitaneo. Quod si non fecerit, puniatur arbitrio capitanei inspecta qualitate facti, et saluo quod non habeat locum in bannitis de maleficio.

L. *Quis debeat torqueri in ipsis casibus.*

Item statutum est, quod capitaneus dicte communitatis nec eius vicarius possint nec debeant aliquam personam dicte iurisdictionis torquere nec questionibus subiicere, vbi pena pecuniaria vertatur; in causis vero et questionibus homicidariorum et robatorum strate et scaccatorum et furium, et in his qui aliquid tractauerint vel tractabunt contra honorem regiminis dicte communitatis, et in his qui alios ceperint²⁾ vel redimere fecerint vel marturiauerint, et in aliis delictis in quibus pena corporalis imponitur seu imponi potest, possint torqueri et questionibus subiicere, precedentibus tamen indiciis. Et in illis in quibus maior pena et maius periculum adhiberetur, maiora tormenta possint et debeant adhiberi.

LI. *De malefactoribus captis consignandis.*

Item statutum est, si aliquis bannitus maleficii vel aliquis

¹⁾ cap. 16. de nocte fehlt in Be.

²⁾ Be fügt bei: vel sbadagiaverint.

malefactor captus fuerit per aliquod commune¹⁾ burgi vel loci communitatis et iurisdictionis predictae, quod commune illius burgi vel loci, in quo siue cuius territorio captus fuerit, teneatur ipsum bannitum seu malefactorem consignare vel consignari facere in fortiam domini capitanei dicte communitatis illa die vel sequenti qua captus fuerit, et si dictum commune burgi vel loci, in quo captus fuisset ille talis bannitus vel malefactor, non esset sufficiens ad illum consignandum vt supra, possit et debeat requirere vel petere auxilium pro ipso tali consignando illi communi vel burgo vel loco, quod vel qui proximior erit burgo vel loco, in quo captus esset, et quod dictum commune, quod requisitum fuerit vt supra, teneatur dare auxilium et fauorem dicto communi burgi vel loci in quo captus fuisset, ad predictum talem consignandum vt supra, sub pena librarum centum tertiorum. Commune vero burgi vel loci in quo captus fuerit, si negligens fuerit in consignando vt supra, sit in pena librarum (Lücke)²⁾ tertiorum soluendarum communitati predicti comitatus vallis Lugani. Et hoc locum habeat, si ille bannitus vel malefactor foret bannitus vel malefactor tali causa, quod veniret puniendus in persona. Sed si fuerit bannitus ex aliis causis vel fuerit aliter malefactor, qui non esset puniendus in persona³⁾ medietas^e tamen dictarum penarum a predictis communibus exigatur, ad quas penas teneantur omnes habitantes in dictis burgis et locis, exceptis viduis et orphanis et pupillis minoribus annis quatuordecim, maioribus annis septuaginta et miserabilibus personis; que pene soluantur pro ere tantum.

LII. De arbitrio domini capitanei contra receptores furium et fauorem prestantes.

Item statutum est, quod capitaneus dicte communitatis et eius vicarius teneantur et debeant de furtis et robariis que fient in futurum in iurisdictione dicti comitatus, tam contra fures et furta committentes quam contra eorum receptores et eis fauorem et auxilium prestantes et attribuentes per inditia et presumptiones et per tormenta et⁴⁾ alios modos qui eis videbuntur possint et debeant procedere ad suum arbitrium et voluntatem ad inueniendum ipsos fures et latrones et eorum receptores et res furatas et robatas.

¹⁾ Be: in aliquo communi.

²⁾ Be: centum.

³⁾ Hier fehlt der Nachsatz im Manuscript, ebenso in Be.

⁴⁾ Be: et per omnes.

LIII. Quod malefactores teneantur satisdare
arbitrio capitanei.

Item statutum est, quod dominus capitaneus dicte communitatis ad eius arbitrium possit et debeat compellere quemlibet furem et latronem et scachatorem seu qui infamatus et suspectus esset de talibus personis vel eorum spoliis recipiendis, ad faciendum bonam et idoneam securitatem in manibus ipsius domini capitanei recipientis nomine et ad partem dicte communitatis et cuiuslibet alterius persone cuius intererit, videlicet ipsos latrones et fures et scachatores vel suspectas personas de his de non faciendo et de non recipiendo toto tempore sui regiminis ipsius capitanei aliqua furta nec robarias aliquarum personarum nec captionem hominum in tota dicta iurisdictione nec extra alicuius dicte iurisdictionis, et quod parebit mandatis ipsius, et de soluendo penam eis ordinatam per dictam communitatem, si contrafecerint vel aliquid ipsorum committerent, et de restituendis rebus personis quas damnificassent per aliquem predictorum modorum, et etiam de soluendo penam communitati predictae usque ad libras centum tertiorum arbitrio capitanei ultra penas alias in statutis dicte communitatis comprehensas, et receptatores de huiusmodi personis non recipiendis nec eorum spoliis, de non dando neque prestando auxilium, consilium neque iuuamen alicui predictarum talium personarum, et de soluendis penis in statutis communitatis predictae comprehensis, et de restituendis ipsis rebus que communitati furate et derobate essent. Et si aliquis ipsorum requisitus fuerit precepto capitanei vt veniat ad faciendum dictam securitatem, et non venerit, detur ei bannum maleficii et vltra de libris centum tertiorum, et si perseuerauerit in ipso banno per quindecim dies a die preteritionis banni in antea computandos, condemnetur arbitrio capitanei a libris quinquaginta usque ad libras centum.

LIIII. De pena tabernarii vel hospitis receptantis
malefactores vel res ablatas.

Item statutum est, quod aliquis tabernarius vel hospes vel alia persona dicte iurisdictionis non audeat nec presumat hospitari nec recipere in domo vel cassina vel horto vel curia alicuius domui vel cassine adherenti aliquem furem vel latronem vel scachatorem publicum vel priuatum infamatum de aliquo furto vel robaria, nec res furatas seu raptas recipere nec pati vt portentur in domo eius vel partes circumstantes,

nec etiam debeant dare bibere nec comedere alicui predictorum nec eis auxilium aliquo modo prestare sine parabola capitanei; et qui contrafecerit, soluat pro banno qualibet vice, si fuerit famosus latro vel robator strate vel spolia eius receperit et tenuerit vel habuerit in domo vel cassina vt supra, libras centum tertiorum; quas si soluere non poterit, amputetur ei vnus pes; et si fuerit aliter fur vel latro non famosus, soluat pro banno recipiens vel tenens in qualibet vice libras viginti quinque tertiorum, et si cibum vel potum vel aliud auxilium dederit alicui predictorum etiam in strata publica, soluat in qualibet vice libras viginti quinque nostrorum pro quolibet famoso latrone et pro quolibet robatore strate, et pro alio fure libras decem tertiorum, saluo quod capitaneus habeat arbitrium pro qualitate persone et conditione facti in minuendis, tollendis et augendis dictis penis.

LV. De pena permittentis robare clamantem
auxilium in terra.

Item statutum est, quod si in aliquo burgo, loco vel villa iurisdictionis predictae communitatis de cetero facta fuerit de die aliqua robaria, preda vel captio, et ille qui predaretur vel caperetur vel robaretur sine auctoritate capitanei, clamauerit auxilium tempore prede, robarie siue captionis, teneatur capitaneus dicte communitatis condemnare homines illius burghi vel loci seu ville, vbi robaria seu preda vel captio facta fuerit, in libras viginti quinque tertiorum et ad restitutionem robariarum, nisi consignauerint in fortiam domini capitanei malefactorem infra decem dies post robariam, predam seu captionem factam. Ad quam penam teneantur omnes habitantes in ipso burgo, loco seu villa, exceptis viduis, orphanis et pupillis minoribus annis quatuordecim et maioribus annis septuaginta et miserabilibus et infirmis personis, que non possunt exhire domum, et dicta condemnatio soluatur pro ere tantum.

LVI. De eodem in lacu.

Item statutum est, quod si aliqua persona de cetero derobata fuerit vel capta in lacu dicte communitatis et ripperie, si ipsa robaria vel captio facta fuerit de die vel de nocte super parte vel territorio alicuius burghi, commune et homines illius burghi et omnes habitantes in ipso burgo teneantur restituere persone derobate seu capte damnum totum, quod ipsa persona capta vel derobata passa fuerit, tam in rebus ablatis quam in redemptione persone et in expensis quas

faceret pro predictis petendis et habendis. Si vero captio vel robaria facta fuerit super parte vel territorio alicuius ville in ipso lacu vt supra, commune et homines illius ville et omnes habitantes in ipsa villa, super cuius parte seu territorio facta fuerit ipsa captio seu robaria, teneatur restituere persone robate seu capte quartam partem dicti damni et plus et minus pro magnitudine et paruitate ville arbitrio capitanei, alias vero tres partes dicti damni teneantur restituere alia communia circumstantia huiusmodi ville seu territorii huius ville per duo milliaria ibi prope territorium cuiuslibet burgi seu territorii ipsius ville in lacu, et hoc modo intelligi debeat videlicet quantum extenditur territorium vsque ad medium lacum, et quod milliare intelligatur in longitudine gitadarum quinguecentum ad gitadam mensure terre, et debeat incipi mensurare dictum milliare ab ea parte burgi vel loci vbi congregatur dicta vicinancia pro maiori parte vsque ad contratam illam vbi facta fuerit robaria aliqua vel captio personalis. Et si vbi facta fuerit aliqua robaria vel captio personalis, non fuerit aliquod commune burgi vel loci per duo milliaria, quod tota Plebs teneatur ad restitutionem aliarum trium partium; et si fuerit tantum vnum commune prope vt supra, quod ipsum commune teneatur pro quarta parte, et tota Plebs teneatur tantum pro aliis duabus partibus; et si duo communia fuerint prope per duo milliaria, quod quodlibet ipsorum communium teneatur pro quarta parte et Plebs teneatur pro alia quarta parte; et si tria communia fuerint prope dictum lacum¹⁾ per duo milliaria vt supra, quod similiter quodlibet commune teneatur pro quarta parte; et si plura communia fuerint prope per duo milliaria, quod quodlibet teneatur pro rata parte dictarum trium partium secundum formam presentis statuti. Ad quas penas non teneantur vidue, pupilli, orphani, minores annis quatuordecim, maiores annis septuaginta et miserabiles persone et infirmi, qui non possunt exire domum, et soluantur pro ere tantum.

LVII. De eodem extra lacum.

Item statutum est, si qua robaria vel captio personalis de cetero facta fuerit extra lacum in tota iurisdictione predicta de die vel de nocte in loco vel territorio alicuius burgi vel loci, seruetur et fiat vt infra, videlicet quod si ipsa robaria vel captio facta fuerit de die tantum in aliqua strata publica vel iuxta ipsam stratam, quod commune et omnes

¹⁾ Be: locum.

burgi, in cuius territorio vel burgo facta fuerit ipsa robaria, restituere teneatur damnum passo in totum, et commune et homines et¹⁾ habitantes in illa villa, in cuius territorio facta fuerit ipsa robaria vel captio, restituere damnum teneatur passo quartam partem vel plus et minus arbitrio capitanei, et alia communia circumstantia per duo milliaria alias tres partes, eo modo vt supra dictum est et determinatum de robariis que fient in lacu. Si vero robaria facta fuerit huiusmodi in burgo vel villa vel iuxta burgum vel villam ita prope quod vox clamantis auxilium de facili possit audiri, si quidem persona clamauerit auxilium ita quod audita fuerit eius vox in burgo vel villa, et robatores fuerint plures numero quam persone robate seu quam persone habitantes et tunc stantes in domo in qua robaria facta fuerit, ita quod credibile et verisimile sit probatum, robariam fuisse factam et derobatas personas resistere non potuisse, hoc liquide ostensum et probatum fuerit, prout talia ostendi et probari possint, eo casu si in burgo vel prope burgum vt supra robaria vel captio facta fuerit, siue ipsa robaria facta fuerit de die vel de nocte, commune et homines illius burgi teneantur restituere damnum persone robate in totum. Si vero in villa aut prope villam facta fuerit robaria vt supra de die vel nocte, teneantur commune et homines illius ville et communia et homines villarum circumstantium ad restitutionem huiusmodi damni, eo modo vt supra determinatum est de robariis que fient in lacu. Et quod de questionibus captionum, robariarum, violentiarum, redemptionum et quarumlibet iniuriarum factarum et que fient, cognoscatur summarie sine figura et strepitu iudicii et datione libelli quolibet die feriato et non feriato, tam contra captores, violatores et excessores quam contra communia et homines qui et que tenentur ad restitutionem ipsius robarie, damni et redemptionis, et quod communia et homines et omnes habitantes in ipsis communibus exinde possint capi personaliter et detineri omni die et tempore feriato et non feriato, aliquibus statutis, consiliis et prouisionibus in contrarium non obstantibus, et de predictis omnibus et singulis reddatur et fiat ius cuilibet subiecto iurisdictioni communitatis vallis Lugani et ripperie et etiam alteri fori. Et si vbi facta fuerit aliqua robaria vel captio, non fuerit aliquod commune burgi vel ville per duo milliaria prope, quod tota Plebs teneatur ad restitutionem aliarum trium partium, et si fuerit tantum vnum commune prope vt supra, quod ipsum

¹⁾ Be: et omnes.

commune teneatur tantum pro quarta parte et tota Plebs teneatur pro aliis duabus partibus; et si duo communia fuerint prope per duo milliaria, quod quodlibet communium ipsorum teneatur pro quarta parte et Plebs teneatur pro alia quarta parte; et si tria communia fuerint prope ipsum locum per duo milliaria vt supra, quod similiter quodlibet commune teneatur pro quarta parte; et si plura communia fuerint prope per duo milliaria, quod quodlibet teneatur pro rata parte dictarum trium partium secundum formam presentis statuti. Saluo quod ad penas predictas non teneantur vidue, orphani, minores annis quatuordecim, maiores annis septuaginta et miserabiles persone et infirmi qui non possunt exire donum, et soluantur ipse pene pro ere tantum.

LVIII. Quando licitum sit vulnerare et occidere.

Item statutum est, quod si aliquis de cetero se defendendo, ne robaretur, predaretur vel caperetur per aliquem vel aliquos malefactorem vel malefactores, vulneraret seu occideret aliquem vel aliquos ex predictis malefactoribus, qui ipsum robare, predari vel capere vellent, ipse talis se defendens, vulnerans seu occidens ipsum malefactorem vel malefactores sit impunis nec per capitaneum nec per eius vicarium aliquo tempore puniatur exinde. Quodque quilibet volens capere aliquem malefactorem pro aliquo maleficio, (pro quo) veniret seu venirent perdere vitam, etiam sine parabola domini capitanei vel eius vicarii, vulneraret seu occideret aliquem vel aliquos ex predictis malefactoribus, qui se defenderet seu defenderent ne caperetur seu caperentur, quod ipse talis occidens vel vulnerans talem seu tales malefactorem seu malefactores sit impunis nec aliquo tempore puniatur exinde.

LVIII. De pena occupantis fortilitiam contra honorem Regiminis.¹⁾

Item statutum est, quod si qua persona forensis de cetero abstulerit vel occupauerit vel socia fuerit ad occupandum aliquam fortilitiam, montem vel motam in aliqua parte dicte iurisdictionis comitatus vallis Lugani et ripperie contra honorem Regiminis et dicte communitatis, et in fortiam dicte communitatis peruenerit, teneatur capitaneus infra tertium mensem²⁾ postquam in fortiam communitatis peruenerit, facere eidem persone forensi amputari vnum pedem ita quod pes separetur a crure.

¹⁾ Vgl. oben cap. 24.

²⁾ Be: diem.

LX. De eodem in supposito iurisdictioni.

Item statutum est, si de cetero aliqua persona communitatis vallis Lugani et ripperie abstulerit vel occupauerit vel socia fuerit ad occupandum aliquam fortilitiam, castrum, montem vel motam in aliqua parte dicti comitatus vallis Lugani et ripperie contra honorem domini dicte¹⁾ communitatis vel contra bonum statum ipsius communitatis, et in fortiam dicte communitatis peruenerit, capite puniatur ita quod moriatur. Si vero in fortiam dicte communitatis non peruenerit, confestim banniatum de furto et occupatione et de rebellionem contra suam patriam, et bona eius publicentur et in communitatem predictam perueniant, aliquo statuto in contrarium non obstante.

LXI. De forma seruanda per scribam maleficiorum in cancellando banna.

Item statutum et ordinatum est, quod quilibet scriba maleficiorum officii dicte communitatis sub²⁾ subscriptione quam faciet pro cancellatione alicuius banni, ponat signum suum, nomen et cognomen, vbi scribit, et causam, annum, diem et mensem, quando ipsam cancellationem faciet, et etiam cuius precepto fit ipsa cancellatio, et etiam exprimat in ipsa cancellatione nomen banniti vel bannitorum quos cancellat. Et notarius qui predictam formam in cancellatione sua non fecerit³⁾, condemnetur in libris decem tertiorum pro qualibet vice, et capitaneus teneatur ipsum notarium condemnare in dictis libris decem tertiorum⁴⁾ infra tertiam diem postquam predicta inuenerit, et remoueat ab illo officio incontinenti.

LXII. De forma seruanda per dominum scribam.

Item statutum est, quod dicti officii maleficiorum scribe in quaternis bannorum maleficii inter vnum bannum et alium tres lineas vacuas integras et non plus nec minus in lineis integris dimittant, et predicta obseruare teneantur dicti scribe sub predicta pena vt supra.

LXIII. De custodibus et campariis in communibus seu villis.

Item statutum est, quod quodlibet commune burgi vel loci, ville seu castellantie et quelibet comunantia seu vici-

¹⁾ Be: domini capitanei et dicte.

²⁾ Be: in.

³⁾ Be: seruauerit.

⁴⁾ Be: in qualibet vice.

nantia et quelibet vniuersitas iurisdictionis predicte communitatis possit et ei liceat ponere, habere et tenere custodem seu camparium in suis et super suis terris et in possessionibus cuiuscunque maneriei et in quolibet tempore anni, qui custos seu camparius habeat auctoritatem et bailiam a communitate predicta, quod possit auctoritate propria et sine vinculo banni et pene dicte communitatis accipere pignus solidorum quinque tertiorum qualibet vice et culibet persone et quibuslibet personis, quam seu quas inuenerit dare seu dedisse, facere seu fecisse damnum seu traxum vel vastum in terris seu super terris, in quibus seu super quibus haberet custodiam seu esset camparius, et quod vltra predicta ille qui dederit damnum vel fecerit traxum vel vastum, nihilominus teneatur et debeat emendare et soluere estimationem damni seu traxi seu vasti persone, vniuersitati vel communi, que dictum damnum, traxum seu vastum esset passa, et hoc in estimatione dicti custodis seu camparii; et de predictis ac quolibet predictorum stetur et stari debeat verbo dicti camparii seu custodis cum iuramento. Et quod ille qui sic inuentus fuerit damnum, traxum vel vastum dedisse vt supra, teneatur et debeat soluere dictam estimationem passis vt supra dictum damnum, traxum vel vastum infra decem dies post ipsam estimationem factam, in pena et sub pena librarum decem tertiorum, que pena perueniat in communitatem dicte vallis Lugani et ripperie. Et quod dictus camparius seu custos, antequam se intromittat de dicto officio camparie, iuret corporaliter ad sancta Dei euangelia manibus tactis scripturis coram dicto capitaneo seu eius vicario, facere et gerere dictum officium camparie seu custodie toto tempore sui officii bona fide sine fraude, et quod de dicto iuramento fiat vnum scriptum per notarium officii notarie dicte communitatis. Qui scriba non possit nec debeat accipere nisi vltra imperiales sex de dicto scripto. Et qui camparius seu camparii, custos seu custodes possit et possint mutari secundum voluntatem constituentis seu constituentium. Et etiam intelligatur, quod quelibet singularis persona habens et tenens terras ad suas manus siue faciens laborare suis sumptibus et expensis, possit etiam constituere et habere camparium vt supra; et vbi dicit, quod debeat stari verbo dicti camparii, credatur etiam de territorio, et quod per hoc non fiat aliquod preiudicium alicui parti seu persone in dominio et possessione rei nec in aliquo iure partium, possit tamen probari contrarium. Et quod laborantes terras per colonos, massarios seu partiarios non possint camparium constituere, sed ipsi coloni, massarii

seu partiarum possint, et si ipsi camparii iurauerint alibi quam coram domino capitaneo vel eius vicario, non possint exercere dictum officium. Et quilibet notarius qui receperit sacramentum camparii nisi in presentia domini capitanei vel eius vicarii, puniatur in libris tribus tertiorum. Et quod camparius seu custos teneatur portare accusas suas et personas et bestias, quas inuenerit damnum facere, accusare infra quindecim dies postquam inuenerit, aliter condemnetur camparius seu custos in libris tribus tertiorum pro qualibet vice applicandis communitati predictae.¹⁾

LXIII. Quod quilibet singularis persona possit accusare.²⁾

Item statutum est, quod quilibet singularis persona habens vel tenens terras ad suas manus seu faciens laborare suis sumptibus et expensis possit et ei liceat accusare quamlibet personam et personas et bestias, quas et quam inuenerit sibi damnum dare, infra decem dies proxime secuturos, et ei credatur cum eius iuramento et vno teste fide digno.

LXV. Quod accuse et denuntie dentur domino capitaneo seu vicario.

Item statutum est, quod quilibet accusa et denuntia que dabitur in futurum debeat dari et consignari domino capitaneo vel eius vicario et non alicui alii persone, aliter dicta talis accusa vel denuntia non habeatur pro producta, et quod notarii maleficiorum teneantur in ipsa se subscribere cum signo suo, quod ipsam recepit tali die, et deinde infra duos dies secuturos ponant in quaterno accusarum sub pena solidorum quinquaginta tertiorum.

LXVI. De sacramento prestando notario maleficiorum per capitaneum.

Item statutum est, quod dominus capitaneus vel eius vicarius dicte communitatis sub vinculo sacramenti teneatur facere iurare quemlibet notarium electum vel constitutum ad officium maleficiorum communitatis predictae comitatus vallis Lugani et ripperie, antequam se intromittant de dicto officio, ad sancta Dei euangelia, quod exercebit et faciet officium suum bona fide sine fraude, et quod statuta super suo officio edita attendet et obseruabit, et idem obseruetur in omnibus

¹⁾ Von Et quod camparius an fehlt in Be.

²⁾ Dieses Cap. fehlt in Be.

aliis officialibus dicte communitatis secundum officium suum, et quilibet possit accusare contrafacientes et habeat medietatem pene in eorum statutis comprehense.

LXVII. De pena communis burgi aut ville
non probantis accusam.

Item statutum est, quod quodlibet commune burgi vel ville, quod detulerit aliquam accusam de aliquo maleficio commisso sine sanguine in eius territorio, nisi illam probauerit, soluat communitati predictae solidos quadraginta tertiorum; et si de maleficio de quo sanguis exierit, vel robaria, soluat commune burgi solidos centum tertiorum et commune ville solidos sexaginta.

LXVIII. Quod capitaneus et eius vicarius
debeant temptare et videre de capiendis
bannitis.

Item statutum est, quod dominus capitaneus et eius vicarius omnibus modis quibus poterint bona fide temptare et videre poterint,¹⁾ qualiter banniti de maleficio communitatis predictae capiantur et de iurisdictione eiiciantur et expellantur.

LXVIII. Quod capitaneus et vicarius habeant
liberum arbitrium tormentorum.

Item statutum est, quod dominus capitaneus et eius vicarius habeant liberum arbitrium ponendi ad tormenta quamlibet personam accusatam seu inculpatam de aliquo adulterio seu stupro, violento raptu mulierum, robaria, incendio vel incisione bursarum, precedentibus tamen indiciis vel fama contra inculpatam vel calumniatam personam.

LXX. Contra incisores burse.

Item statutum est, si quis repertus fuerit incidere bursam vel inciderit vnam bursam, quod incidatur ei vna manus, salvo si infra vnum mensem soluerit communitati predictae libras quinquaginta tertiorum; et si duas bursas inciderit, amputetur ei vnus pes; si vero tres vel plures inciderit bursas, suspendatur per gulam ita quod moriatur, et restituat bursas et contenta in eis et damnum passo.²⁾

¹⁾ Be: debeant.

²⁾ Be: et restituat etc. fehlt.

LXXI. Quod massarius non possit recipere
inuestituram ab alio.

Item statutum est, quod nullus colonus possit nec debeat recipere inuestituram ab alio domino de eo vnde inuestitus est a primo domino, et si factum fuerit hinc retro vel de cetero fiet, non valeat illa locatio contra primam inuestituram. Saluo si vltimus inuestitor haberet titulum venditionis de re inuestita et per communitatem seu officialem dicte communitatis vallis Lugani fuerit inductus in possessionem contra eum; et si quis contrafecerit, soluat pro banno qualibet vice libras vigintiquinque tertiorum, medietas cuius banni sit communitatis et alia medietas accusatoris, et quilibet possit accusare; saluo si compulsus fuerit per capitaneum vel eius vicarium recipere dictam inuestituram, facta prius denuntiatione priori locatori vel eius heredibus vel alii habenti iurisdictionem in dicta re inuestita per cartam attestatam, et quod inquilinus seu colonus seu qualisqualis fictabilis non possit nec debeat petere libellum de re sibi locata vel afflictata, et quod inuestitus de aliqua re non possit petere libellum de re inuestita, et quod idem sit inquilino et quolibet alio dante et prestante fictum. Idem etiam sit in qualibet alia persona tenente rem, domum vel terram nomine alterius, etiam si inde non sit charta.

LXXII. Quod nullus in domo sua teneat furem.

Item statutum est, quod nullus homo in iurisdictione dicte communitatis in domo sua propria vel conducta teneat furem vel latronem se sciente, et qui contrafecerit, soluat pro banno libras quinquaginta¹⁾ tertiorum. Et quod quilibet possit accusare, medietas cuius banni sit communitatis et alia accusatoris.

LXXIII. Quod naute lacus non habeant aliquam
societatem.

Item statutum est, quod naute lacus Lugani aliquo modo non faciant nec habeant aliquam societatem de nauibus dicti comitatus vel aliunde. Et si quis, vndecunque sit, fecerit aliquod pactum cum aliquo nauta lacus Lugani de ipso et de rebus suis ducendis de ripa ad ripam vel de loco ad locum, pro pacto facto cum eo de mercede ipsius nauli ipse nauta ire debeat et teneatur ire cum illo cum quo pactum fecit, et

¹⁾ Be: decem.

illam eandem nauem de qua fuerit pactum factum et nullam aliam et ipsum cum rebus suis festinanter trahat ad locum de quo pactum fuerit, et si quis contrafecerit, soluat pro banno in qualibet vice dicte communitati solidos viginti tertiorum. Et quod quilibet possit accusare; medietas cuius banni sit communitatis, altera accusatoris. Saluo quod dummodo non sit bannitus nec rebellis dicte communitatis nec aliquid commiserit, propter quod ille talis qui fecisset pactum vt supra, veniret in persona condemnandus vel in banno de maleficio ponendus; quo casu non debeat ipse nauta dictum pactum seruare nec ipsum nec res eius aliquo modo in nauem ponere nec ducere, sed ipsum talem statim capere et consignare in fortiam dicti domini capitanei vel eius vicarii. Et in casu quo non esset sufficiens ad ipsum capiendum et consignandum vt supra, quod de ipso tali statim notitiam faciat predicto domino capitaneo vel eius vicario; quod si non fecerit vel statim non notificauerit vt supra, puniatur ille nauta in libris decem tertiorum communitati predictae applicandis.

LXXIII. De modo seruando per bubulcos ducentes boues cum plaustis.

Item statutum est, quod omnes bubulci ducentes boues cum plaustis exeuntes et intrantes aliquam terram vel aliquem locum habitatum in dicta communitate non debeant ire super plaustis, sed ante boues debeant ire illi bubulci et tenere manum super temone plaustri; et qui contrafecerit, soluat pro banno qualibet vice solidos decem tertiorum pro qualibet vice, et quilibet possit accusare, medietas cuius pene sit communitatis et alia accusatoris. Et quod credatur sacramento accusatoris, et quod dicta condemnatio possit exigi sine scriptura alia.

LXXV. Quod nullus vadat sine lumine de nocte.

Item statutum est, quod nullus de cetero vadat sine lumine per burgum Lugani post tertium sonum campane que pulsatur in sero, et si quis contrafecerit, soluat pro banno solidos decem tertiorum, et idem seruetur contra illum cui reperta fuerit porta seu hostium apertum post dictum tertium sonum vt supra.

LXXVI. Quod nullus ire debeat per burgum post sonum campane cum viola.

Item statutum est, quod nulla persona debeat ire per burgum Lugani post tertium sonum campane vsque ad diem.

cum viola seu lauto nec alio instrumento sonando, sub pena et banno solidorum quinquaginta tertiorum pro quolibet et qualibet vice, et quod stetur sacramento accusatoris et teneatur secretus, et dicta condemnatio possit exigi absque alia scriptura.

LXXVII. Quod nullus tabernarius vendat
post tertium sonum.

Item statutum est, quod nullus tabernarius prestat ad bibendum alicui persone in burgo Lugani post tertium sonum campane, et si contrafecerit, soluat pro banno vel pena tabernarius solidos triginta tertiorum, et ille qui biberit vel in domo eius repertus fuerit post predictum sonum campane, soluat pro banno solidos decem tertiorum. Et hoc intelligatur, nisi fuerit hospes, qui possit hospitari bona fide, dummodo non sit male fame. Et quilibet possit accusare, medietas cuius banni sit communitatis et alia accusatoris, et stetur sacramento accusatoris; et quod condemnatio exigatur per capitaneum vel eius vicarium absque alia scriptura et condemnatione.

LXXVIII. Quod nullus teneat bislatiam¹⁾
in domo sua.

Item statutum est, quod nullus teneat bisclatiam in domo sua vel conducta vel gratis concessa, siue quod non patiatum aliquam personam ludere in domo propria vel curte vel horto, vel domo, curte vel horto conductis ad aliquem ludum taxillorum vel chartarum ad tertiam vel quartam;²⁾ et si quis contrafecerit, soluat pro banno qualibet vice libras decem tertiorum, et ille qui luserit solidos centum tertiorum, et ille qui stet super lusum solidos viginti tertiorum,³⁾ et omnes tabularii, dischi siue banche et tabule comburantur. Et si quis de cetero fugerit de aliqua taberna siue bisclatia tempore quo dicte bisclatie temptabuntur precepto regiminis seu capitanei seu eius familie, teneatur tabernarius seu hospes ipsum fugientem accusare vel pro eo soluere penam, et contra ludentes et permittentes ludere et contra mutantes ad ludum possit capitaneus procedere et condemnare per presumptionem et coniecturas, et quod accusator teneatur secretus et habeat medietatem.

¹⁾ Ba: khybiges verderbliches Spiel.

²⁾ In Be fehlt vel chartarum etc.

³⁾ In Be fehlt et ille qui stet etc.

LXXVIII. Q u o d n u l l u s p r e s t e t v e l m u t u e t
a d b i s c l a t i a m.

Item statutum est, quod nulla persona de cetero aliquo modo per se nec per submissam personam prestare debeat nec presumat alicui persone in tota iurisdictione dicte communitatis vel toto eius districtu aliquam pecuniam ad bisclatiam seu occasione bisclatie, et si quis contrafecerit, soluat pro banno qualibet vice predictae communitati libras decem tertiorum in pecunia numerata tantum, et quod non possit id quod taliter mutuauerit petere nec ad hec sibi ius reddatur. Et si inde instrumentum factum fuerit, ipsum sit cassum et irritum ipso iure. Et quod quilibet possit accusare et habeat medietatem et teneatur secretus.

LXXX. Q u o d n u l l a o b l i g a t i o v a l e a t o c c a -
s i o n e b i s c l a t i e.

Item statutum est, quod nulla cautio nec satisfactio nec obligatio nec instrumentum nec condemnatio valeant, si facta fuerint pro bisclatiis seu tabernis vetitis, sed nullius momenti sint et reddi ac cassari debeant si postuletur; et quod omnes obligationes, venditiones, cessiones, pignorum dationes et contractus cuiuscunque maneriei, qui fiunt in manibus seu ad petitionem seu ad vtilitatem alicuius famosi prestatoris de bisclatia, presumantur esse facta occasione bisclatie, ita et taliter quod nullius sit et sint valoris et momenti; et habeatur ille et haberi debeat pro famoso prestatore, de quo sit fama, et per duos testes dicta fama probari possit.

LXXXI. Q u o d c a p i t a n e u s a c c i p i a t s e c u r i t a t e m
a b i n f a m a t i s t e n e r e l u d u m t a x i l l o r u m.

Item statutum est, quod capitaneus dicte communitatis et qui per tempora fuerint teneantur et debeant per sacramentum compellere infra quindecim dies post introitum proximos sui officii omnes personas famosas dicte communitatis tenere bisclatias ad faciendum bonam et idoneam securitatem cum bonis fideiussoribus de libris quinquaginta tertiorum pro qualibet persona, quod non tenebunt nec teneri permittent¹⁾ ad bisclatiam in dicta iurisdictione dicte communitatis, et predictum statutum teneatur et quilibet debeat futurus capitaneus infra quindecim dies post introitum sui regiminis executioni mandare.

¹⁾ Be: permittent aliquo modo de cetero bisclatias nec mutuabunt nec permittent mutuare.

LXXXII. Quod capitaneus debeat condemnare facientes contra predictum statutum.

Item statutum est, quod capitaneus dicte communitatis teneatur eadem die vel sequenti postquam inuenerit aliquam personam fecisse contra aliquod predictorum statutorum, punire et condemnationes facere secundum formam dictorum capitulorum, nulla data defensione.

LXXXIII. Si quis fecerit aliquod dedecus familie capitanei.

Item statutum est, si quis de cetero diceret vel faceret aliquo modo aliquod dedecus dicto vel facto alicui de familia capitanei eunti ad predicta inquirenda seu occasione predictorum inquirendorum, soluat pro banno qualibet vice libras vigintiquinque tertiorum in pecunia numerata tantum, et si dixerit vel fecerit dedecus aliquod aliquo modo alicui accusatori electo supra predictis eundo ad inquirendum bislatias, soluat pro banno dicte communitati¹⁾ solidos centum tertiorum in pecunia numerata tantum.

LXXXIII. Quod pene duplicentur in delictis factis de nocte.

Item statutum est, quod pene dictorum et infrascriptorum statutorum et cuiuslibet eorum in omnibus sint et esse intelligantur duplicate contra quamlibet personam facientem de nocte contra predicta statuta.

LXXXV. Quod omnes ludi taxillorum sint prohibiti.

Item statutum est, quod omnes ludi, in quibus extrahuntur²⁾ taxilli, sint prohibiti tam de die quam de nocte, preterquam ludi tabularum et scaccorum, quibus possit quilibet de die tantum ludere, et quicumque inuentus seu accusatus fuerit ludere de nocte ad tabulas seu scaccos cum taxillis, soluat pro qualibet vice solidos centum tertiorum, et quilibet possit accusare et stetur eius sacramento et teneatur secretus et habeat medietatem dicte pene, et alia medietas sit communitatis.

LXXXVI. Quod nullus faciat inuitamentum.

Item statutum est, quod nullus de cetero presumat facere aliquod inuitamentum nec congregationes gentium cum armis

¹⁾ Be: qualibet vice.

²⁾ Be: trahuntur.

a tribus hominibus supra occasione alicuius discordie¹⁾ vel contentionis quam haberet cum aliquo. Et qui contrafecerit, soluat pro banno qualibet vice libras quinquaginta nostrorum in pecunia numerata.

LXXXVII. Quod nullus currat cum armis ad aliquam rixam.

Item statutum est, quod nullus de cetero in dicta communitate vel eius districtu currat seu vadat cum armis ad aliquam rixam vel ad aliquod inuitamentum, et qui contrafecerit, soluat pro banno libras decem tertiorum nostrorum in pecunia numerata.²⁾

LXXXVIII. Quod nulla persona debeat dare cibum robatoribus.

Item statutum est, quod nulla persona de cetero habitans in iurisdictione dicte communitatis audeat nec presumat dare comedere vel bibere vel aliter auxilium vel iuuamen scaccatoribus vel robatoribus seu furibus famosis vel bannitis ipsis occasionibus vel aliqua earum, et qui contrafecerit, condemnatur ille qui dederit bibere vel comedere vel aliter auxilium vel iuuamen, in libris centum nostrorum pro vnaquaque vice.

LXXXVIII. Quod currentes post homicidas non cadant in penam.

Item statutum est, quod currentes post aliquem qui fecisset homicidium vel furtum³⁾ in aliqua viciniantia dicte communitatis vel eius territorio occasione capiendi homicidas vel percussores eundo et redeundo non cadant in penas positas contra eos qui portant gladios vetitos.

LXXXX. Quod in causis criminalibus iudices darinon debeant.

Item statutum est, quod de cetero in questionibus maleficii iudices dari non debeant de medio nec questiones maleficiorum ulterius committantur, sed iudicande et determinande capitaneo et eius vicario seu alteri eorum committantur, et hoc habeat locum in eorum arbitrio, ita quod si apparuerit eis, quod habeant consilium cum aliquo collegio vel iudice, prout visum fuerit eis vel alteri eorum, et quod vbi ingeritur pena sanguinis,

¹⁾ Be: vel questionis.

²⁾ Be: qualibet vice.

³⁾ Be: feritam.

non debeant habere consilium iudicum, et si non ingeratur¹⁾, quod capitaneus et vicarius teneantur dare sapientem cuilibet petenti.

LXXXXI. Contra facientes facere relationem falsam.

Item statutum est, quod ille ad cuius petitionem factum fuerit aliquod guarentamentum seu relatio falsa, si fuerit inuentus culpabilis ad faciendum fieri huiusmodi relationem seu guarentamentum falsum, condemnetur per capitaneum in libris centum nostrorum, et quod seruitori qui fecerit²⁾ relationem falsam, incidatur lingua.

LXXXXII. Contra capientes aliquem.

Item statutum est, quod si quis ceperit vel capere voluerit et ad aliquem actum capiendi peruenerit vel per eum non remanserit quin ceperit eum producendo vel ducere volendo³⁾ vel faciendo eum redimere, quod suspendatur per gulam ita quod moriatur.

LXXXXIII. Ad fauorem illorum qui consignauerint aliquem domino capitaneo.

Item statutum est, si quis consignauerit aliquem in fortiam dicte communitatis, qui predicta perpetraverit vel aliquod predictorum in suprascriptis capitulis comprehensorum, quod habeat a communitate predicta libras vigintiquinque nostrorum, et qui inditia dederit, propter que capiatur et reducatur in fortiam dicte communitatis, quod habeat libras decem nostrorum et teneatur priuatus; et hoc statutum non habeat locum in stipendiariis existentibus in dicta communitate nec in castellanis et familiaribus suis nec in aliquibus officialibus dicte communitatis vel qui haberent stipendium in dicta communitate pro faciendo officium dicte communitatis.

LXXXXIIII. Quicumque consignauerit aliquem bannitum.

Item statutum est, quod quicumque poterit consignare in fortiam dicte communitatis bannitum scacchi, robarie vel homicidii vel talis furti ex quo banno debeat perdere vitam, habeat et habere debeat a dicta communitate libras viginti-

¹⁾ Be: pena sanguinis.

²⁾ Be: guarentamentum falsum seu.

³⁾ Be: volendo in via.

quinque¹⁾ tertiorum, et si dederit talia inditia propter que capiatur et deducatur in fortiam dicte communitatis, quod a communitate predicta habeat et habere debeat libras vigintiquinque tertiorum et teneatur priuatus. Et quod hoc statutum non habeat locum in aliquo rectore vel officiali seu familia eius nec in aliquo habente soldum in dicta communitate, qui nihil habere debeant a dicta communitate.

LXXXXV. Si quis consignauerit aliquem bannitum, qui debeat perdere membrum.

Item statutum est, quod si quis consignauerit in fortiam dicte communitatis aliquem bannitum qui debeat perdere membrum, habeat et habere debeat a dicta communitate libras vigintiquinque tertiorum, et si inditia dederit propter que capiatur et reducatur in fortiam dicte communitatis, habeat et habere debeat libras duodecim tertiorum et teneatur priuatus. Et quod hoc statutum non habeat locum in supradictis officialibus et stipendiariis vt supra.

LXXXXVI. De eodem vel quasi.

Item statutum est, quod si quis fuerit bannitus vel condemnatus pecunialiter a dicta communitate, et consignauerit in fortiam dicte communitatis vel inditia talia dederit, quibus aliquis bannitus dicte communitatis tali banno, propter quod debeat perdere vitam vel membrum, et conductus fuerit in fortiam dicte communitatis, quod ipse sit absolutus et liberatus a vinculo dicti banni et condemnationis, et quod de libris et actis communitatis predicte cancelletur et eximatur absque aliqua prestatione pecunie, et non habeat aliquod propterea aliud premium a dicta communitate.

LXXXXVII. De eodem vel quasi.

Item statutum est, quod illa persona dicte iurisdictionis, in domo cuius habitationis inuentus fuerit et captus aliquis bannitus dicte communitatis qui vitam perdere debuerit, et consilium et auxilium vel fauorem dederit, condemnetur per capitaneum qui tunc erit²⁾ in libris centum tertiorum, et si membrum perdere debuerit³⁾, condemnetur in libris quinquaginta tertiorum.

¹⁾ Be: quinquaginta.

²⁾ Be: qui nunc est et pro temporibus erit.

³⁾ Be: non debuerit.

LXXXVIII. De pena receptantis bannitum.

Item statutum est, si aliquis bannitus dicte communitatis tali banno, propter quod debeat perdere vitam, habitauerit publice per tres dies in aliquo burgo vel villa vel territorio burgi vel ville dicte iurisdictionis, quod commune condemnetur, si fuerit burgum, per capitaneum qui nunc est et pro temporibus erit, in libris centum tertiorum, et si fuerit commune loci vel ville, condemnetur in libris quinquaginta tertiorum; et si fuerit bannitus tali banno, propter quod debeat perdere membrum, quod condemnetur commune burgi in libris quinquaginta tertiorum et commune loci vel ville in libris vigintiquinque. Ad quam condemnationem non teneantur minores quatuordecim annis, nec vidue nec pupilli nec orphani nec infirmi qui non possunt exire domum, nec miserabiles persone.

LXXXVIII. Si quis arripuerit per vim aliquem bannitum.

Item statutum est, quod si quis arripuerit per vim aliquem bannitum tali banno, propter quod debeat perdere vitam vel membrum¹⁾, qui duceretur vel duci vellet in fortiam dicte communitatis, condemnetur per capitaneum qui nunc est et pro temporibus erit in libris trecentis²⁾ tertiorum.

C. Si quis consignauerit aliquem bannitum de vita.

Item statutum est, quod si quis consignauerit aliquem bannitum tali banno, propter quod debeat perdere vitam vel membrum, in fortiam communitatis alicuius burgi vel ville iurisdictionis predictae, et ostenderit bannum illi communi, quod idem teneatur eundem bannitum consignare in fortiam dicte communitatis infra quinque dies postquam fuerit consignatus, et si contrafecerit, condemnetur per capitaneum qui nunc est et pro temporibus erit, videlicet commune burgi in libris ducentis et commune ville in libris centum tertiorum. Ad quas condemnationes teneantur omnes habitantes in dictis burgis et locis, pupillis et viduis, minoribus annis quatuordecim et maioribus septuaginta et miserabilibus personis exceptis, qui ad ipsas penas condemnationesque minime teneantur.

¹⁾ vel membrum fehlt in Be.

²⁾ Be: ducentum.

CI. De dando auxilium pro capiendis bannitis.

Item statutum est, quod si quis petierit auxilium ab aliquo commune burgi vel ville iurisdictionis predictae ad capiendum aliquem bannitum dicte communitatis tali banno propter quod debeat perdere vitam vel membrum, et idem commune non dederit auxilium ei, si fuerit commune burgi¹⁾, in libris centum, et si fuerit commune ville, quod condemnetur in libris quinquaginta tertiorum. Et quod hoc statutum habeat locum, si bannum in scriptura habuerit vel exemplum ipsi communi ostenderit; ad quam condemnationem non teneantur minores quatuordecim annis, maiores septuaginta, pupilli nec vidue nec infirmi qui non possunt exire domo.

CII. Quod nullum bannum possit prorogari nisi semel.

Item statutum est, quod nullum bannum de maleficio possit prorogari ultra semel, et illa prorogatio non extendatur ultra dies octo.

CIII. Quod nullus per burgum portare possit certa arma.

Item statutum est, quod nulla persona, vnde velit sit, et cuius velit status et conditionis existat, debeat nec presumat eundo, morando et redeundo per burgum Lugani secum habere vel deferre aliquem de infrascriptis gladiis vel armis, preterquam officiales domini et stipendiarii et custodes tam de die quam de nocte et datarii ac officiales datiorum dicte communitatis, qui ipsa arma portare possint impune cercando et exercendo datia sua, et dummodo habeant licentiam in scriptis a capitaneo ipsius communitatis et non aliter. Que arma vetita sunt hec, videlicet spata, quadrellum, pennatum, lanzea, maza, folcastrum, securis, cultellus siue cutelesia de gallono et dagha et falcis a buscho²⁾ dum eis abutuntur.³⁾ Et si aliquis per familiam capitanei inuentus fuerit portare aliquod de predictis armis, soluat pro banno communitati predictae qualibet vice libras decem tertiorum et predicta

¹⁾ Be: condemnetur per capitaneum.

²⁾ Ba: das breit gross Schwert, viereckig Gewehr, Schäffelin, Glän oder Spiess, Streitkolb, Gabel, Axt, Stächmesser oder Breitmesser, so man an den Seiten und an den Oberschenkel bis an die Knüw hangen lasst, Dägen, Hackmesser der Gertner.

³⁾ et falcis etc. fehlt in Be.

arma amittat, que in communitatem perueniant; et si quis per familiam capitanei vellet¹⁾ cercari et temptari, si portaret vel secum haberet aliqua arma vetita, et fugeret vel se circari non permetteret, puniatur eadem pena ac si fuisset inuentus arma vetita secum habere. Possint tamen custodes de nocte et de die quelibet arma secum habere faciendo eorum custodiam absque eo quod cadant ad aliquam penam pro portatione armorum.

CIIII. De pena capientis columbos domesticos.

Item statutum est, quod sit pena librarum trium²⁾ tertiorum cuilibet persone capienti aliquos columbos domesticos aliquo modo pro quolibet pario, et quilibet possit accusare, medietas cuius pene sit communitatis et altera accusatoris, et credatur accusatori cum eius iuramento et vno teste fide digno.

CV. Quod communitas non faciat statutum in damnum alterius.

Item statutum est, quod nullum commune burgi, loci, ville, castri, consilii vniuersitatisque vallis Lugani et ripperie faciat aliquod statutum, ordinamentum vel prouisionem, quod vel que sit in damnum vel contra honorem dicte communitatis, sub pena librarum decem tertiorum, si fuerit commune burgi, et si fuerit commune ville, loci, castri, consilii vel vniuersitatis, librarum quinque tertiorum, et illud statutum et illa prouisio nullius sit valoris, imo sit ipso iure cassum et cassa, et quilibet possit accusare et habeat medietatem condemnationis, et alia medietas perueniat in communitatem predictam, et amodo in antea teneatur quodlibet commune facere confirmari per consilium generale dicte communitatis singulis tribus annis sua statuta et ordinamenta, aliter non valeant vltra triennium.

CVI. Si quis reperiatur habere aliquem accipitrem.

Item statutum est, quod si aliquis iurisdictionis predictae capere vel habere reperiretur aliquem accipitrem mutatum ad buschum, eodem die quo eum ceperit dimittat ire, et qui contrafecerit, soluat pro banno solidos³⁾ decem tertiorum pro qualibet vice et quolibet accipitre et amittat auem, et

¹⁾ Be: inuentus vellet.

²⁾ Be: decem.

³⁾ Be: libras.

quilibet bone fame et opinionis sit inde accusator; medietas cuius banni sit accusatoris et alia communitatis. Et ille cui repertus fuerit in manu dictus accipiter mutatus ad buschum, quamuis ipse non cepisset, soluat pro banno solidos duos tertiorum et dimittat ire auem. Cuius banni accusator habeat medietatem vt supra.

CVII. Contra frangentem pacem.

Item statutum est, quod si pax facta fuerit de aliquo maleficio et pena vel mendacia apposita fuerit frangenti, ille qui fregerit pacem ipsam, soluat eandem penam appositam, nisi predicta facta fuerint in bannito de maleficio vel ex causa maleficii.

CVIII. Quod capitaneus faciat condemnationes criminalium vel absolutiones singulis duobus mensibus.

Item statutum est, quod capitaneus et eius vicarius teneantur et debeant quolibet mense vel saltem singulis duobus mensibus facere condemnationes vel absolutiones omnium accusationum et denuntiationum, querelarum et inquisitionum ex eorum officio factarum quorumcunque delictorum, que eis portabuntur, fient et dicentur per quamcunque personam, secundum formam statutorum dicte communitatis vallis Lugani et ripperie in publica concione.

CVIII. De sequimentis dandis per communitatem.

Item statutum est, quod de sequimentis dandis cuiuslibet communis et vicinantie et vniuersitatis et securitatibus faciendis de predictis omnibus occasione sequimentorum habeat notarius communitatis, qui scribit dictam securitatem, et accipiat tantum solidos quatuor tertiorum et non vltra pro quolibet communi, et securitas fiat ita generalis, quod intelligatur esse facta pro omnibus negotiis que contingerit toto anno; et quilibet vltra dictos quatuor solidos acceperit, soluat pro banno qualibet vice dicte communitati solidos quadraginta tertiorum. Et quilibet possit accusare, medietas cuius banni sit communitatis et alia accusatoris, et accusator teneatur secretus, et stetur sacramento accusatoris cum vno teste fide digno. Et quod nullus officialis dicte communitatis possit esse fideiussor pro aliquo communi occasione dictarum sequellarum sub pena solidorum quadraginta tertiorum pro quolibet contrafaciente, si ipsa sequella vel securitas fieret coram rectore; et si fieret alibi quam vbi fuerit rector, possit impune esse hoc non obstante.

CX. De capiente aliquem famosum latronem.¹⁾

Item statutum est, quod si aliqua persona ceperit et consignauerit dicte communitati aliquem famosum latronem vel aliquem in delicto robandi stratam comprehensum, capitaneus habeat liberum arbitrium dandi ei vel eis qui fecerit dictam captionem et consignationem, vsque ad quantitatem librarum vigintiquinque tertiorum de ere dicte communitatis.

CXI. Contra facientem monetam falsam.

Item statutum est, si quis fecerit vel fieri fecerit monetam falsam et spendiderit scienter, si in fortiam communitatis peruenerit, comburatur ita quod moriatur, si quantitas pecunie fuerit a solidis viginti supra; et si de solidis viginti et a viginti infra vsque ad solidos quatuor, puniatur tantum in libris quinquaginta tertiorum.

CXII. Contra recedentem de consilio sine licentia.

Item statutum est, quod si qua persona de consilio generali communitatis predictae, que intrauerit in dictum consilium generale et recesserit sine parabola capitanei vel eius vicarii vel eius vices gerentis, antequam finitum sit dictum consilium, soluat pro banno communitati predictae solidos decem²⁾ tertiorum.

CXIII. Contra consiliarium dicentem verba iniuriosa.

Item statutum est, quod nullus consiliarius in consilio generali audeat nec presumat dicere verba iniuriosa vel opprobrium alicui de dicto consilio sub pena librarum quinque tertiorum et minus arbitrio capitanei vel eius qui fuerit loco ipsius capitanei vel vicarii.

CXIII. Quod communitas non faciat exigere aliquod pedagium.

Item statutum est, quod nulla persona, cuiuscunque conditionis fuerit et status, nec aliquod commune alicuius burgi vel loci dicte communitatis vallis Lugani et ripperie audeat nec presumat exigere nec exigi facere in aliqua parte territorii dicte communitatis aliquod pedagium nec datium, nisi solum pedagia et datia ordinata et solita seu que ordina-

¹⁾ Ba: verschreyten Dieb.

²⁾ Be: quinque.

buntur per dictam communitatem, et vendita et que vendentur per communitatem predictam, sub pena librarum trecentum tertiorum communitati applicandarum.

CXV. Contra massarium vendentem vuas.

Item statutum est, quod nullus massarius seu fictabilis audeat nec presumat aliquas vuas vinee quam tenet ad fictum vel ad medium, vendere vel donare sine voluntate domini, et si quis contrafecerit, soluat pro banno solidos quadraginta tertiorum qualibet vice. Et quilibet possit accusare, medietas cuius pene sit communitatis predictae et alia accusatoris. Et quilibet persona que emeret vel acciperet scienter de huiusmodi vuas, subiaceat pene predictae.

CXVI. De citationibus forensium ad valuas iuris faciendis.

Item statutum est, quod omnes citationes factae atque requisitiones olim et que de cetero fient ad pilastrum coperti noui burgi Lugani occasione aliquorum maleficiorum et banna data et que dabuntur predictis occasionibus super ipsis citationibus et requisitionibus, valeant et teneant ac si personaliter citati forent, nullo statuto obstante; et que requisitiones, que tali modo de cetero fient, legantur per seruitorem, et hoc statutum habeat locum tantum in maleficiis et in illis personis que non habent habitaculum in iurisdictione vallis Lugani et ripperie, et que non sunt supposite iurisdictioni predictae. Et idem intelligatur in personis habitantibus in locis seu contratis dicte vallis et ripperie, in quibus non audent ire seruitores. Et hoc sit in arbitrio capitanei.

CXVII. De pena dantis testes ignorantes in denuntiis.

Item statutum est, quod ad hoc vt remoueantur fraudes eorum, qui in denuntiationibus dant testes veritatem ignorantes, et quod omnia communia burgorum et locorum vel villarum iurisdictionis predictae, qui in suis accusationibus seu denuntiationibus ascripserint seu dederint testes, per quos veritas commissi maleficii in accusatione vel denuntiatione comprehensi probari non poterit, condemnentur amodo si delictum in accusatione vel denuntiatione comprehensum penam sanguinis non ingerat, videlicet commune burgi in libris quinque et commune loci in libris tribus tertiorum, et si penam sanguinis ingerere videatur et gerat si foret probatum, condemnentur commune burgi in libris decem et commune loci in libris sex tertiorum.

CXVIII. Quod nemo audeat currere cum
debitores capiuntur.

Item statutum est, quando debitores capiuntur in burgo Lugani seu in dicta iurisdictione per creditores eorum seu per alios eorum nomine de mandato domini capitanei vel eius vicarii vel alterius officialis inde auctoritatem habentis, quod nulla persona cuiusvis conditionis et status sit, audeat nec presumat currere nec rumorem facere, vt homines currant ad dictum negotium, captionem seu rumorem, in pena et sub pena librarum quinque tertiorum proferenda contra quemlibet qui cucurrerit; et qui procurauerit quod ille rumor fiat et debitor capi non possit vel capi non debeat, condemnetur in libris decem tertiorum. Et quod idem statutum in suprascriptis etiam vendicet sibi locum, quando familia dicti capitanei vadat per burgum seu per iurisdictionem predictam faciendo aliquod officium, videlicet si aliquis clamorem protulerit seu rumorem conuocauerit, ne dicta familia officium suum faciat, vel ad rumorem concurrerit ipsum. Saluis et reseruatis omnibus statutis super predictis factis.

CXVIII. Quod nullus bannitus possit esse in
officio.

Item statutum est, quod nullus possit esse in officio communitatis predictae, si fuerit bannitus de maleficio vel ei fides ablata fuerit per communitatem dictam vel ei fuerit interdictum, que interdictio solum valeat per duos annos. Et teneatur capitaneus inquirere omni mense quam subtilius possit, et illos remouere qui fuerint remouendi, vt in isto statuto continetur, et quod non possit exercere officium tabellionatus nec procurationis.

CXX. De libris condemnationum et libera-
tionum in archiuio ponendis.

Item statutum est, quod omnes libri et quaterui quarumcunque condemnationum et absolutionum tam corporalium quam pecuniarum et quelibet instrumenta et scripture pertinentes et pertinentia communitati predictae reponantur in vno scrinio in burgo Lugani, quod scrinium stet penes personam bone fame; super quo scrinio sint tres serrature cum tribus clauibus, quarum clauium vna stet penes dominum capitaneum, vna penes procuratores dicte communitatis et alia penes caneparium dicte communitatis.

CXXI. De iuramento faciendō per officiales
domini capitanei.

Item statutum est, quod capitaneus seu eius vicarius teneantur facere iurare corporaliter ad sancta Dei euangelia quoslibet officiales dicte communitatis de seruando statuta ad suum officium pertinentia, antequam ipsi ingerant vel intro- mittant de dicto officio.

CXXII. De accusis recipiendis et portandis
per camparios.

Item statutum est, quod capitaneus siue eius vicarius teneatur accipere accusas seu denuntias que ei deferentur per camparios, et condemnare quamlibet personam et bestiam pro qualibet bestia, que inuenietur dare seu dedisse damnum, in solidis quinque tertiorum, cuius condemnationis medietas sit communitatis et alia camparii, et nihilominus accusatus teneatur ad restitutionem damni et vasti in estimationem camparii iuxta formam statutorum dicte communitatis.

CXXIII. De non tormentando vbi non ingeratur
pena sanguinis.

Item statutum est, quod capitaneus non possit ponere ad tormenta aliquam personam pro aliquo delicto, quod non ingerat penam sanguinis.

CXXIII. Contra incidentem vineam vel
deuastantem plantam etc.

Item statutum est, quod si quis inciderit aliquam vineam vel deuastauerit aliquam arborem seu plantam seu passonum et stopamentum quod esset obstaculum alicuius fluminis decurrentis, ex quo posset aliquem damnificare vel damnificauerit aliquem in quantitatem solidorum centum tertiorum vel abinde supra, quod puniatur et condemnetur in libris quinquaginta tertiorum applicandis communitati et in restitutione dupli damni facti et dati estimationis passo restituendi, et nihilominus puniatur secundum formam aliorum statutorum.

CXXV. Quod condemnatus pecuniarie possit
exire a carcere fideiussione prestita.

Item statutum est, quod quicumque carceratus occasione alicuius condemnationis pecuniarie vel debiti spectantis tam communitati vallis Lugani quam alicui communi vel singulari persone possit exire a carceribus prestita idonea securitate de soluendo ipsam condemnationem vel debitum infra

terminum sibi assignatum seu assignandum per capitaneum seu eius vicarium.

CXXVI. Contra arripientem violenter captum de fortia capitanei.

Item statutum est, quod nulla persona, vndecunque sit et cuiuscunque status et conditionis existat, modo aliquo audeat nec presumat arripere violenter de fortia capitanei dicte communitatis vallis Lugani et ripperie vel alicuius de familia sua aliquem vel aliquos captos vel captum occasione alicuius maleficii seu pro aliquo officio regiminis communitatis predictae, vel operam dare per quam aliquis taliter captus auferatur vel fugiat de fortia capitanei vel eius vicarii seu familie vel alicuius alterius persone, que ipsum captiuum cepisset pro volendo ipsum consignare in fortiam capitanei vel eius familie. Et qui contrafecerit, condemnetur pro qualibet vice in libris centum tertiorum. Et si ille vel illi qui predictam penam incurrerit vel incurrerint excessu huiusmodi, condemnationem de eo factam soluere non posset seu non possent, quod condemnatio illa solvatur per illud commune illius burgi vel ville, in quo siue super cuius territorio foret ille excessus commissus, et ad soluendum illam condemnationem dictum commune compellatur omnibus modis. Saluo quod dicto communi soluenti ipsam condemnationem cedantur a capitaneo et a communitate predicta iura et actiones contra illum vel illos et contra sua bona, pro quo seu quibus condemnationes huiusmodi persoluisset; et quod onus huiusmodi condemnationis inter omnes habitantes in ipso communi debeat compartiri, scilicet medietas pro ere et medietas pro personis, exceptis minoribus annis quatuordecim et maioribus annis septuaginta et miserabilibus personis, qui nihil soluere debeant pro personis, et mulieres ac miserabiles persone nullatenus teneantur aliquid soluere pro predictis. Et saluo si ante illam condemnationem factam commune burgi vel ville, in quo seu qua seu cuius territorio facta fuerit huiusmodi violentia capitaneo vel eius familie vel alicui alteri persone que ipsum captiuum consignare vellet in fortiam regiminis, raptum seu raptos, raptorem seu raptores in fortiam consignauerit dicti capitanei infra decem dies post predictum excessum vt supra factum, quod ad solutionem dicte condemnationis nullatenus teneatur, et dum dictos raptores et raptos consignent integraliter nihilominus. Et hoc statutum non habeat locum, si maleficcium factum fuerit de nocte; hoc etiam intellecto, quod dicta pena librarum centum tertiorum habeat locum, si ille

captus fuerit bannitus vel banniendus tali modo, vnde habeat perdere vitam vel membrum. Si autem fuerit bannitus vel banniendus pecuniariter, quod sit pena tantum librarum quinquaginta tertiorum.

CXXVII. Contra occidentem quem, de quo sua hereditas in eum perueniret.

Item statutum est, quod si quis occiderit aliquam personam cuius hereditas vel successio perueniret sibi vel ad aliquem eius descendentem vel ascendentem, si ipse defunctus mortuus fuisset naturali morte, non habere possit ipsam hereditatem vel successionem, sed ipsa hereditas seu successio perueniat in agnatos alios seu cognatos proximiores si ipse et eius descendentes et ascendentes non fuissent in medio, et quod nec filius nec aliquis existens in potestate occisoris possit succedere occiso.

CXXVIII. Contra sodomitas, homicidas, incendiarios, veneficos etc.

Item statutum est, quod capitaneus, vicarius et officialis ad maleficia deputatus et quilibet eorum possint et debeant et teneantur inquirere, cognoscere et procedere ex officio et etiam condemnare sine accusatore vel denunciatore aliquo quoscumque sodomitas, turbantes seu turbare facientes vel procurantes aliquo modo vel casu statum domini seu dicte communitatis, quoscumque prestantes auxilium, consilium vel iuuamen rebellibus domini et predicte communitatis, homicidas, parricidas, incendiarios, veneficos maleficos, violatores monete, assassinos et assassinari facientes, abscindentes alicui aliquod membrum, robatores, schachatores, fures famosos, raptores virginum vel mulierum honestarum, falsarios, tenentes priuatos carceres, facientes aliquos redimi, turbantes aliquos, facientes insultum cum armis vel sine vel alio modo, iniuriantes aliquem ad domum habitationis eius, iniuriantes dicto vel facto dominum dicte communitatis vel dominum capitaneum vel eorum familias vel aliquem de aliquibus de eorum familia vel aliquem eorum dicto vel facto, iniuriantes aliquos coram aliquo iudicante, et damnum dantes per incisionem vinearum et deuastatores arborum et deuastatores domorum alienarum, receptatores furtorum¹⁾, bannitorum de inobedientia et rebellione vel de maleficio ex quo pena sanguinis ingeratur, auferentes seu conantes auferre aliquem bannitum vel male-

¹⁾ Be fügt bei: robariarum.

factorem vel alium quemcunque captum a familia, qui conductur vel conduci vellent per familiam vel per quascunque alias personas vel personam in fortiam dicte communitatis vel eius regiminis, et committentes maleficia sub coperto nouo regiminis burghi Lugani, et contra quoscunque furantes et fraudantes pecuniam dicte communitatis vel scripturam vel scripturas dicte communitatis existentes ad bancum iuris vel alibi, et in omnibus criminibus notoriis, et in misclantiis ad quas curreret aliquis ex officio domini capitanei vel eius vicarii durante misclantia vel saltem ipso die in burgo Lugani et in ipso die vel sequente in iurisdictione. Et quod liceat cuilibet predictorum capitaneo seu vicario precedente¹⁾ vt supra mittere tabellionem pro dicto infirmo recipiendo et pro vulneribus occisi et rebus malefactoris describendis, et pro dictis testium recipiendis, et intelligantur homicide, qui suis manibus homicidium perpetrauerint.

CXXVIII. De pena contra supradictos sodomitas et alios.

Item statutum est, quod si quis inciderit in crimen sodomie, igne concremetur ita quod statim moriatur in igne, antequam familia capitanei recedat de loco supplicii. Turbantes seu turbare volentes et procurantes aliquo modo vel causa statum presentem domini capitanei vel communitatis, prestantes auxilium, consilium vel iuuamen rebellibus domini vel communitatis predictae, puniantur in ere et personis arbitrio domini capitanei inspecta qualitate personarum et facti. Homicide, parricide, assassini et facientes assassinari aliquem vel aliquos, raptores virginum vel honestarum mulierum et tenentes priuatos carceres capite puniantur ita quod statim moriantur. Venefici malefici, violatores monete et falsarii monetarum in ignibus comburendi tradantur, ita quod in igne confestim moriantur. Robatores, scachatores facta robaria vel schacho pecunie vel rei valentis a solidis sexaginta supra prima vice vel pluribus vicibus coaceruatis, fures famosi furcis suspendantur, ita quod confestim moriantur; a solidis vero sexaginta infra robatores, schachatores arbitrio capitanei puniantur. Alii vero falsum committentes puniantur in ere et personis preterquam in casibus in quibus lege municipali pena certa statuta est. Facientes aliquos redimi, priuato carcere vtentes, tributantes²⁾ aliquos arbitrio capitanei puni-

¹⁾ Be: procedenti.

²⁾ Be: trabutantes.

antur vt supra. Facientes insultum ad domum habitationis alicuius cum armis puniantur in libris ducentum nostrorum, et sine armis in libris centum nostrorum et minus arbitrio domini capitanei. Iniuriantes dicto vel facto dominum dicte communitatis vel capitaneum vel alicuius eorum officialem et familiarem arbitrio domini capitanei in ere et personis vel in ere tantum puniantur. Receptatores furtorum valentium a solidis duodecim supra vsque ad solidos sexaginta et robariarum et famosorum latronum scienter furcis suspendantur ita quod confestim moriantur. Receptatores scienter bannitorum de inobedientia vel rebellione arbitrio capitanei puniri possunt secundum qualitatem facti. Receptatores bannitorum de maleficio, ex quo pena sanguinis ingeratur, scienter, eadem pena puniantur qua puniri deberet ille bannitus, si in fortiam capitanei¹⁾ perueniret. Auferentes seu auferre conantes aliquem bannitum vel malefactorem, qui consignari voluerit in fortia communitatis, puniantur eadem pena qua puniri deberet ille bannitus vel malefactor; si vero aliquem alium captum qui consignari voluerit in fortia communitatis, quis abstulerit seu conatus fuerit auferre, arbitrio domini capitanei puniatur. Eodem modo puniantur impediens aliquem capi per familiam dicti capitanei vel alicuius officialis. Saluo quod si quis receptauerit agnatum vel cognatum vsque ad quartum gradum, puniatur ad arbitrium capitanei minori tamen pena.

CXXX. Contra contemnentes mandata officialis domini capitanei.

Item statutum est, quod quelibet persona que spreuerit seu contempserit mandatum domini capitanei vel eius vicarii, quod contineat vt aliquid detur, prestetur, soluatur seu fiat alteri precise absque contradictione aliqua, puniatur in libris quinque nostrorum et vltra ad arbitrium domini capitanei vel eius vicarii.

CXXXI. Contra iudices accipientes maiorem mercedem continentie statutorum.

Item statutum est, quod si aliquis iudex vel aliqua persona acceperit aliquid de sententia vel aliquo alio iudicio vel consilio arbitramentorum, laudorum, taxationis vltra quam contineatur in statutis dicte communitatis, quod puniatur in libris quinquaginta nostrorum qualibet vice et ex nunc prout ex tunc sit priuatus taliter quod non possit sibi fieri aliqua

¹⁾ Be: fortiam communitatis.

commissio, delegatio vel compromissum vsque ad tres menses; et similiter puniantur aduocati et procuratores et alii notarii qui aliquid acceperint vltra id quod continetur in statutis et prouisionibus dicte communitatis; et quilibet possit accusare contrafacientes et habeat medietatem condemnationis; nihilominus restituere debeant in duplum parti vel partibus quibus acceperint, et capitaneus vel eius vicarius sub pena sacramenti exigere teneatur dictam penam; et committens vel delegans teneatur dare et soluere communitati predictae libras vigintiquinque tertiorum, si sciuerint ipsum fore inhabilem, et quod nulla commissio possit fieri, nisi iurauerit secundum formam statutorum dicte communitatis; et si facta fuerit, sit nullius momenti, et sententia que ferretur¹⁾ et consilium quod per eum daretur sit nullius momenti. Et hoc statutum habeat locum minime in commissionibus que fierent extra iurisdictionem, sed tunc seruentur alia statuta. Et si quis iudex vel delegatus vel aliquis alius pretermiserit transire tempus commissionis vel delegationis, quod puniatur per capitaneum in libris decem nostrorum, et quilibet possit accusare, et habeat medietatem condemnationis, si fuerit sua culpa, et quod aliqua delegatio fieri non possit nisi presentibus partibus vel legitime citatis.

CXXXII. Quod nullus officialis possit habere partem in aliquo datio.

Item statutum est, quod nullus rector et officialis communitatis predictae de cetero possit per se vel submissam personam habere partem in aliquo datio vel gabella vel pedagio que exigantur in dicta communitate, sub pena librarum centum tertiorum pro quolibet et qualibet vice; et quilibet possit accusare et habeat medietatem pene supradicte et teneatur secretus, et stetur sacramento suo cum vno teste fide digno.

CXXXIII. Contra nolentes dare pignora seruitori petenti.

Item statutum est, quod si aliqua pignora vel robarie fiende vigore alicuius parabole in scriptis date pignorandi vel robandi per fortiam fuerint vetita seu vetite per aliquam personam, quod puniatur et condemnetur vetans in libris tribus tertiorum sine armis, et si cum armis vetuerit, in libris sex tertiorum. Si autem percussio aliqua facta fuerit, quod tunc vltra dictam penam puniatur delinquens secundum alia statuta facientia mentionem de feritis et percussionibus;

¹⁾ Be: ferretur pretextu illius consilii sit nulla.

sin autem seruitores vel barnerii¹⁾ qui iuerint pro robaria fienda, per fortiam clausi fuerint in aliqua domo vel curtilli per aliquem eisdem facere dictam robariam vetantem, puniantur vel condemnetur in libris decem tertiorum vetans et claudens vt supra, nisi iusta causa interuenerit²⁾; et intelligatur vetasse et condemnetur caput familias, si filius vel vxor vel alius de familia vetauerit.

CXXXIII. De expensis soluendis per victum
in causis.

Item statutum est, quod in omnibus causis maleficiorum victus victori condemnetur in expensis, etiam si non petite fuerint.

CXXXV. Contra notarios causarum volentes
patrocinari.

Item statutum est, quod nullus exercens seu qui per tempora exercebit officium tabellionatus banchi officii notarie dicte communitatis sub capitaneo vel vicario possit nec debeat officium procuratoris exercere nec in aliqua causa procurare vel sindicario seu actorio³⁾ nomine comparere, sub pena librarum decem tertiorum cuilibet contrafacienti pro qualibet vice; et quilibet possit accusare, et sit medietas pene accusatoris, et capitaneus teneatur singulis sex mensibus inquirere generaliter committentes contra presens statutum.

CXXXVI. De non ducendo personas ad carceres
nisi presentatas capitaneo.

Item statutum est, quod nulla persona audeat nec presumat ducere aliquam personam ad carceres dicte communitatis, nisi primo eam presentauerit domino capitaneo, sub pena solidorum viginti pro quolibet et qualibet vice. Et quilibet possit accusare et habeat medietatem condemnationis, et stetur sacramento accusatoris et teneatur secretus, et insuper teneatur restituere expensas carcerum contrafaciens.

CXXXVII. Contra blasphemantes Deum vel
Sanctos.

Item statutum est, quod si aliquis blasphemauerit Deum vel b. Virginem Mariam, condemnetur in libris vigintiquinque tertiorum, et si aliquem de Sanctis Paradisi, quod puniatur in libris quinque tertiorum; et si non soluerit infra decem dies, quod mergatur ter in lacu, quando blasphemauerit ali-

¹⁾ Be: barniarii d. capitanei.

²⁾ Das Folgende fehlt in Be.

³⁾ Be: curatorio.

quem de Sanctis; et si Deum vel b. Virginem matrem eius, verberetur per burgum Lugani. Et stetur sacramento accusatoris et teneatur secretus et habeat medietatem pene pecuniarie, si soluerit.

CXXXVIII. Dies termini non computetur in termino.

Schon oben cap. 5.

CXXXVIII. Contra aromatarios ponentes rasinam in cereis.

Item statutum est, quod nemini speciario seu hypothecario¹⁾ in burgo Lugani et eius iurisdictione liceat facere vel fieri facere nec vendere seu vendi facere nec in stationibus vel alibi tenere aliquos duplerios seu cilostros vel candelotos venales cum mixtione laresine, pexe seu rase nec cum pauero de stupa sub pena librarum quinque tertiorum et perdendi dictos duplerios, cilostros vel candelotos qualibet vice cuilibet contrafacienti per se vel per summissam personam auferenda, super quibus capitaneus teneatur inquirere generaliter semel ad minus singulis sex mensibus et contrafacientes condemnare et punire; et quilibet possit accusare et habeat medietatem pene, et credatur de predictis accusatori cum iuramento, et teneatur secretus.

CXL. Contra notarios negantes petentibus instrumenta.

Item statutum est, quod quilibet tabellio qui tradiderit seu tradet quodlibet instrumentum contractus, vltime voluntatis vel cuiuslibet alterius generis chartam vel scripturam, teneatur et debeat ad mandatum capitanei vel vicarii explere et in publicam formam redigere infra terminum in mandato comprehensum et contentum, sub pena librarum vigintiquinque tertiorum et plus et minus arbitrio capitanei, et ipsum expletum restituere pro pretio taxando per dominum capitaneum vel alium per partes eligendum, in quantum petens non esset concors de pretio cum tabellione, et vltra non accipiat sub pena predicta.

CXLI. Contra ingredientes monasteria monialium.

Item statutum est, quod ingredientes aliquod monasterium aliquarum monialium burgi Lugani et dicte iurisdictionis masculi maiores annis quatuordecim, minores septuaginta puniantur in libris vigintiquinque tertiorum qualibet vice,

¹⁾ Be: apothecario.

excepto ingressu ecclesie, propter quem nullus puniatur, nisi loquatur cum aliqua moniali vel habitum monialem gestante, quo casu habeat locum pena librarum viginti quinque nostrorum. Saluo quod possit loqui cum filia et sorore, consanguinea, nepte vel cognata vel amita. Et predicta locum habeant, nisi fuerit de licentia domini Episcopi, quo casu non puniatur ingrediens nec loquens. Et quod de predictis ingressis et locutis vt supra quilibet possit accusare, medietas cuius pene sit communitatis et alia medietas sit accusatoris, probantis tamen ingressum et loquellam per vnum testem fide dignum. Et quod dominus capitaneus et eius vicarius habeant arbitrium procedendi et inquirendi in crimine commisso contra monialem et portantem habitum professionis carnaliter cognitam et per torturam tam contra testes quam contra accusatos precedentibus inditiis. Et hec accusatio cuilibet deferatur. Et quod hoc statutum non habeat locum contra medicos, barberios, molinarios et pistores, qui iuissent causa medendi et locuti essent eadem de causa vel consilium super aliqua infirmitate dandi vel solassandi aut causa accipiendi bladum pro macinando vel causa portandi farinam de dicto blado vel causa accipiendi pastam pro coquendo panem vel panem reportandum, nec etiam contra massarios portando fictum ipsis monialibus, quibus licitum sit ipsa monasteria ingredi et loqui cum monialibus suprascriptis de causis tantum et non alio modo.

CXLII. De salario seruitorum in maleficiis.

Item statutum est, quod si aliquis seruator citauerit aliquem in burgo Lugani, quod habeat imperiales quatuor, et si iuerit extra burgum ad citandum aliquem, quod habeat imperiales sex pro quolibet milliari et vltra imperiales quatuor pro quolibet citato, et dicti imperiales sex pro milliari soluantur communiter per omnes citatos, u. s. w. übereinstimmend mit Stat. civilia cap. 242, nur dass statt quatuor imperiales immer sex imperiales pro milliari stehen, statt infra decem dies guarentare hier infra quinque dies guarentare¹⁾ gesetzt ist und es am Schlusse heisst: ponatur ad berlinam per vnum diem, et quilibet possit accusare.

CXLIII. De accusis dandis intra tres menses.

Item statutum est, quod si aliqua iniuria, percussio, ferita aut maleficio factum fuerit vel facta fuerit in personam aliquam et voluerit illa persona accusare illum vel

¹⁾ Be: ipso die et nocte sequenti infra quinque dies guarentare.

illos qui sibi iniuriam, percussionem vel feritam aut maleficium commiserit aut fecerit, quod possit infra tres menses a die iniuriarum, percussionis, ferite aut maleficii commissi vel commisse numerandos accusationem porrigere, preteritis vero tribus mensibus nullo modo audiatur, preterquam in criminibus falsi, adulterii, furti et homicidii, de quibus possit omni tempore accusationem porrigere, et super ipsa per capitaneum fiat ius, quemadmodum si porrecta fuisset intra terminum dictorum trium mensium.

CXLIIII. Contra tenentes rethia perdicum.

Item statutum est, quod nulla persona, cuiuscunque conditionis existat, audeat nec presumat in dicta iurisdictione prefati domini capitanei tenere in eius domo propria vel conducta aliqua rethia apta ad capiendum perdices nec aliquas perdices capere cum rethibus aliquibus, sub pena librarum decem tertiorum pro quolibet rethe et librarum quinque tertiorum pro qualibet perdice communitati vallis Lugani applicandarum, et quod quodlibet commune et consules cuiuslibet communis dicte iurisdictionis teneantur et debeant singulis tribus mensibus diligenter inquirere quoscunque habentes rethia et capientes perdices, denunciare etiam prefato domino capitaneo seu eius vicario sub pena librarum decem tertiorum pro quolibet communi et librarum quinque tertiorum pro quolibet consule, si in predictis denunciando et accusando fuerint negligens et negligentes, communitati predictae applicandarum, et insuper quilibet possit accusare cum eius sacramento vel vno teste fide digno quoscunque habentes rethia vel perdices capientes vt supra, et habeat medietatem dicte pene.

CXLV. De non petendo ius sub alio iudice.

Item statutum est, quod nulla persona iurisdictionis predictae audeat nec presumat modo aliquo per se nec submissam personam pro aliqua causa tam ciuili quam criminali, que possit et debeat decidi et terminari per dominum capitaneum dicte communitatis, ius petere alicui iusdicenti alicuius alterius iurisdictionis nec recursum habere pro aliqua causa vt supra nisi ad prefatum dominum capitaneum¹⁾, sub pena librarum centum tertiorum applicandarum pro medietate communitati predictae et pro alia medietate illi vel illis, contra quem vel quos ius vt supra postulauerit vel recursum vt supra habuerit, et vltorius omnis processus et condemnatio et sententia

¹⁾ Be fügt bei: sine licentia prefati capitanei.

vt supra factus et facta sint ipso iure irriti et irrita et nullius momenti.

CXLVI. Contra nominantem pro domino rei immobilis clericum vel aliquam ecclesiam.

Item statutum est, quod nulla persona iurisdictionis predictae communitatis vallis Lugani et ripperie, cuiusvis status existat, audeat nec presumat in aliqua causa tam civili quam criminali, in qua requisitus fuerit mandato domini capitanei, siue sit actrix siue rea, quod debeat respondere alicui si interrogetur¹⁾, vtrum aliquas domos, terras vel res territorias teneat et possideat suo nomine vel alieno, nominare aliquem clericum nec ecclesiam pro domino ipsius talis domus, terre vel rei territorie in iudicio sub pena librarum centum tertiorum applicandarum communitati predictae. Saluo si publica scriptura vel aliter legitime probauerit, dictam domum, terram vel rem de qua agetur fore illius clerici vel ecclesie, infra mensem vnum currentem²⁾ post nominationem predictam. Et etiam hoc statutum habeat locum contra quamlibet personam, siue interrogata sit siue non, que in iudicio nominauerit siue allegauerit pro domino alicuius rei immobilis aliquem clericum vel ecclesiam, nisi illam talem nominationem vel allegationem verificauerit vt supra infra mensem³⁾ vnum prout supra dictum est.

CXLVII. Contra frangentes carceres.

Item statutum est, quod quelibet persona que detenta fuerit vel detineri contingerit in carceribus communitatis vallis Lugani pro debito pecuniario publico vel priuato, que ex sua temeritate ausa fuerit frangere dictos carceres aut perforare taliter quod inde fugiat, incurrat statim et ipso iure penam librarum centum tertiorum applicandarum camere prelibati domini, et vltius teneatur et debeat et possit adiri realiter et personaliter detineri pro dicto eius debito, et vltius teneatur ad refectionem et reconciliationem carceris, teneatur etiam ad solutionem quorumcunque debitorum, qui detenti essent et predicta occasione fugissent, et ad eandem penam teneantur dantes et prestantes auxilium vel fauorem ad fractionem dicti carceris.

¹⁾ Be: respondere aliquibus interrogationibus.

²⁾ Be: per octo dies currentes.

³⁾ Be: infra octo dies.

CXLVIII. De pena piscantium pisces tempore frigarum.¹⁾

Item statutum est, quod nulla persona dicte vallis Lugani aut alterius iurisdictionis audeat nec presumat piscari cum rethibus in lacu Lugani aliquos pisces temporibus frigarum piscium sub pena florinorum decem auri pro qualibet vice applicandorum camere predictae et ulterius perdendi rethia et nauem et pisces captos, cuius rethis, nauis, piscium medietas sit communitatis predictae et alia sit accusatoris, qui tenebitur secretus et stabitur eius sacramento cum vno teste fide digno.

Deo gratias Amen.

Blasius de Altomonte magnifici et potentissimi Domini Domini Aloysii de Sancto Seuerino capitaneus et locumtenens generalis.

Quia statuta vallis Lugani, ripperie et pertinentiarum reformatione indigere videbantur, ea feci per sapientem legum doctorem dominum Joannem Bonum de Madiis de Sallis, Girardum Carolum, Donatum Castaneam ambos causidicos dicte vallis Lugani et Antonium Martellam de Salla notarium publicum auisari, examinari et diligenti examinatione percurri. Qui omnibus et singulis mature ponderatis et discussis nonnulla ex ipsis in illis partibus et locis, de quibus circumspectioni et prudentie ipsorum conuenire visum fuit, emendauerunt, correxerunt, reformauerunt et ordinauerunt, quamobrem statuta ipsa tam ciuilia quam criminalia per ipsorum quodlibet, que omnia simul sunt numero quatuor centum triginta duo, videlicet ducentum octuaginta quatuor ciuilia et centum quadraginta octo criminalia. Quorum ciuiliū initii prima verba sunt: De arbitrio domini capitanei. In primis statutum est et ordinatum, quod capitaneus vallis Lugani etc., et vltimum his verbis finitur: et intelligantur ad litteram vt iacent. Principium vero criminalium ita scribitur: Imprimis namque statutarii statuerunt et ordinauerunt, quod capitaneus vel rector, et finis in hec verba desinit: eius sacramento cum vno teste fide digno. Omnemque ipsorum omnium et singulorum statutorum continentiam, dispositionem et effectum harum tenore omni modo, via, iure, forma et causa, quibus melius et efficacius potui, approbauī, ratificaui et integre firmaui et confirmaui. Volens quod amodo statuta ipsa tam ciuilia quam criminalia sub hac reformatā, renouata et moderata forma praticari debeant, exerceri, locum habere et seruari

¹⁾ Ba: zur Zyt des Laichens.

in dicta valle, ripperia et pertinentiis, quemadmodum alia priora statuta hactenus fuerunt obseruata. Quequidem priora statuta de cetero pretermissa sint et amplius nullatenus obseruentur.

Reseruatis tamen ipsi magnifico domino Aloysio auctoritate et arbitrio addendi, diminuendi, corrigendi, reformandi, commutandi, declarandi et interpretandi, si et quemadmodum sue celsitudini conuenire et expedire videbitur et placebit. In quorum testimonium presentes litteras fieri feci et sigillo consueto sigillauit. Datum Mediolani die quarta februarii 1441.

Sign. Petrus.

In nomine Domini amen. Ad laudem et augmentum magnifici magnanimique ducalis armorum capitanei domini nostri domini Aloysii de Sancto Seuerino ac vallis totius Lugani, ripperie et pertinentiarum conseruationem in regimine sapientis et egregii legum doctoris domini Laurentii Trouamale de Sallis prelibati domini dominoque suppositis dicte vallis et ripperie vicarii officio procurarie communitatis dicte vallis presidente Lanzeloto de Rusconibus de Bironico in Lugano residente emissis sono tube et preconia voce Bertrami de Lomatio tubete dicte communitatis per burgum Lugani hodierna die ad loca dicti burgi consueta, in quibus fieri solent proclamata, vbi maior aderat populi multitudo pro mercato quod in eodem burgo iuxta solitum celebratur, ad bancum iuris solitum dicte communitatis in burgo Lugani situm, vbi per prefatum dominum vicarium vniuersis iura redduntur et vbi magna hominum caterua conuenerat, publicate et aperte ac nuntiate fuerunt prefate littere spectabilis et generosi viri domini Blasii de Altomonte prelibati domini Aloysii locumtenentis generalis edite ad confirmationem statutorum dicte communitatis tam ciuiliū quam criminalium nuper editorum, correctorum et reformatorum, sicut ipse littere mentionem reddunt specialem, ipsaque statuta publicata et aperta fuere maxime in partibus illis et solemniter diuulgata, in quibus et vbi a veteribus statutis discrepant et innouata videntur atque correctata, ita quod ad omnium potuit notitiam peruenire.

Anno a natiuitate Domini nostri Jesu Christi currente 1441, indictione quarta, die mercurii XV mensis martii.
